Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-367626-p0001-8

A 231
3

1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-367626-p0002-4

Quarto. N. 521.

T. VI, 880.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-367626-p0004-5

Hoc in Volumine Sequentur

1. Philosophia suspecta et invisa ad Coll: 2 c 8.

2. De Diis gentium tutelaribus ex antiquitate
3. Carmen Seculare de Spiritu Et. ex Hospto publicatum
4. De Sensu Scripturae Sacrae
5. De Dei nostri gratiam in Lasciviam transmutantibus ad Jude 4.
6. De conclusione a mortuorum resurrectione ad resurrectionem Christi valide ad 1 Cor: XV c 13.16
7. De Foedere fidei conjugalis exemplo ad Mal: 2 c 14.
8. Fidelium Παρεκδημία ad Ebr: VI c 18.19.20.
9. De Paulo e carne Pauli extracto ad 2 Cor XII c 4. Segg
10. Deus gratiosissimus
11. Cuetus fluminum ad Ez: XVII c 6.
12. De velis tabernaculi atq templi
13. Comentatio Philologica ad 1 Reg: XIX c 14.
14. De fucis et tinctura oculorum, faciei, capillorum ad Deut: XXII c 5.
15. ad Eorum eundem Diss: II. de speculo.
16. Adversus opiniones Doctorum quorundam
17. De anno Jobelaeo secundum disciplinam Hebraeorum ex Lev: XXV.
18-21. Quadriga Disputationum theol: de Arbore Vitae à Themnitio
22. De usu alborum calculorum apud veteres ad Apoc: II c 17.
23. Dissertationum anti-Hardouinianarum biga.
24. Manuductio Philosophica ad notitiam Dei naturalem
25. De animabus his mortuorum inter coelites commorantibus in prima Separatione
26. De Hosea et Vaticinio ejus
27. Pharisaeos a protobaptista non baptizatos
28. De justificatione coram hominibus
29. Dissertatio epistolica ad Marc: XI c 13.
30. An S. S. Trinitas ex ratione demonstrari queat?
31. Decas meletematum philologicorum
32. De Judaeis praeputium detrahentibus ad 1 Cor: VII c 18.

39.

33. Quod Christus in coena sua συνωδίαν agnum paschalem non comederit.
34. De graecorum proverbio πρὸς κεντρα λακτίζειν ad Act: 8 ℣. 26 ℔.
35. Decas observationum philologicarum ex litteratura

graeca	Arabica
Ebraica	persica
Chaldaica	aethiopica
Syriaca	armenica
Samaritana	Coptica.

36. De Hierosolymis aureis
37. De Theraphim ad Hoseae 3 ℣ 4. 5.
38. Discours sur l'accroissement de la philosophie par la revelation.

+ fehlt

IN NOMINE SACRO-SANCTÆ TRINITATIS.

QUADRIGA DISPUTATIONUM THEOLOGICARUM De ARBORE VITÆ,

Publicæ luci
data
à

CHRISTIANO CHEMNITIO
SS. Th. D. & P. P. Ecclesiæ Jenensis ac
Diœceseos ibidem Pastore & Superint.

EDITIO TERTIA.

JENÆ.
Typis JOHANNIS NISII,
Anno M. DC. LXVI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-367626-p0008-7

ALLE

ARBOKE

DES

LOCICARUM

DISPUTATIONUM THEO-

LOGICARUM

IN NOMINE SANCTO-SANCTE TRINITATIS

IN NOMINE SS. TRINITATIS.

DISPUTATIO THEOLOGICA De ARBORE VITÆ *PRIMA*

RESPONDENTE

M. JOHANNE QUIRINO HEDENO,
Arnstadiensi Thuringo.

THESIS PRIMA.

QUadriennium & aliquot menses sunt, ex quo in Disputione publicâ & solenni, *Anno M. DC. LII. X. Calend. Octobris* pro *LOCO* habita; *ARBOREM SCIENTIÆ BONI ET MALI* Eruditorum oculis exposuimus conspiciendam. *ARAM* Dominicam; *PALÆSTRAM* obedientiæ, *SANCTUARIUM* rectitudinis & justitiæ. Quam utinam, ad cynosuram tàm sancti, tàm facilis & evidentis Præcepti, observassent reverentiùs; ingressu fuissent prudentiùs; coluissent religiosiùs Protoplasti. Sed dum antiquo auscultatum fuit serpenti, ac *ARÆ* huic Profanæ injectæ manus; rapiendo quod erat prohibitum: nec-non fortissima colla sponte subjecta, fraudulento jugo calumniantis adversarii, ac extremâ temeritate violatum tàm Sacrosanctum Religionis, rectitudinis & justitiæ domicilium: Mors, peccatum, & universorum malorum detestanda confluges intravit in mundum, totâ lugente Naturâ. Nunc itaque animus est, cum DEO, post alios labores adjungere etiam *ARBOREM VITÆ*; ac eâdem methodo etiam istam quibusdam Disputationibus paulo attentiùs contemplari. Nec id fortasse ingratum erit. Quamvis enim in Adamo hanc *ARBOREM* ejusque donum dudum perdiderimus: illius tamen commemoratio monere nos debet, quanta in statu innocentiæ fuerit hominis felicitas; & quantam

tam̃ habituri simus, cùm in cœlesti Paradiso edemus ex *ligno* hoc: de quo *Johannes, Apocal. 22. v. 2. In medio fori ejus* Urbis nempe cœlestis, *& ex utraque parte fluminis, arbor vitæ, ferens fructus duodecim, per menses singulos edens fructum suum, & folia sua ad sanitatem gentium.* Et *v.14. Beati, qui præstant ejus mandata: ut sit eis* jus *in* arborem vitæ, *& per portas ingrediatur in civitatem.* Quam *felicitatẽ*, & quod *jus in arborẽ vitæ*, restituit nobis vera *ARBOR VITÆ*, JESUS CHRISTUS, in *ligno Crucis*, Salvator noster, benedictus in secula.

II. Sic igitur de hac *ARBORE* facer Codex, *Genes. II. v. 9.*

וַיַּצְמַח יְהוָה אֱלֹהִים מִן־הָאֲדָמָה כָּל עֵץ נֶחְמָד
לְמַרְאֶה וְטוֹב לְמַאֲכָל וְעֵץ הַחַיִּים בְּתוֹךְ הַגָּן וְעֵץ
הַדַּעַת טוֹב וָרָע׃

Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave. Lignum etiam vitæ in medio Paradisi; lignumq; scientiæ boni & mali. Et Cap. III. v. 22. וְיִשְׁלַח יָדוֹ
וְלָקַח גַּם מֵעֵץ הַחַיִּים וְאָכַל וָחַי לְעֹלָם׃ *Nunc igitur, ne extendens manum suam accipiat, etiam* de fructu *arboris vitæ, ut comedat, victurus in seculum. Et vers. ultimo:* וַיְגָרֶשׁ אֶת־הָאָדָם
וַיַּשְׁכֵּן מִקֶּדֶם לְגַן־עֵדֶן אֶת־הַכְּרֻבִים וְאֵת לַהַט הַחֶרֶב הַמִּתְהַפֶּכֶת
לִשְׁמֹר אֶת־דֶּרֶךְ עֵץ הַחַיִּים׃

Instituit à parte anteriore horti Hedenis Cerubos, flammamque gladii sese vibrantis, ad custodiendum viam ad arborem vitæ. Uti hæc loca vertit *Tremellius.*

III. Appellatur itaque hæc ARBOR עֵץ חַיִּים *Lignum*, seu *ARBOR vitæ.* Ne enim quis frustrà se hic fatiget, emphasin aliquam, aut rationem appellationis peculiarem in numero plurali fortè quærendo; quasi *Lignum*, seu *Arbor vitarum* dicatur; Sicuti aliqui in numero Plurali legunt, ARBOR VITARUM: Grammaticos sistimus, docentes חַיִּים, ut alia nomina ætatum plurale esse, *quasi dies vel tempora vitæ dicas*; aut *varias vitæ commoditates*, hoc numero multitudinis *denotari* velis. Quorum *prius Buxtorffii: posterius Avenarii* est annotamentum. Sicuti & LXXII. Interpretes reddiderunt ξύλον τῆς ζωῆς. Lignum vitæ. Quare, quod *NOMEN & APPELLATIONEM* hujus *ARBORIS* attinet; *Chrysostomus*; veritus sine dubio aliorum contradictiones, &

metu-

metuens, ne quid frigidi, aut parvi roboris quod esset, afferret: rem ferè reliquit in medio. Scribit enim, Tom: I. in Caput III. Geneseos, Homil. XVIII. pag. 110. *Si autem curiosulus aliquis rogat; quave lignum vitæ appellatum est: sciat, si nostris rationibus innitamur, non posse hominem omnia Dei opera contueri. Visum enim fuit Domino, ut meditationem quandam, obedientiæ & inobedientiæ haberet homo à se factus & in Paradiso degens.* Ex quibus constat, Beato Patri nondum fuisse persuasum, quænam ratio appellationis certa esset: Sed eundem annumerasse hoc iis rebus, de quibus *curiosuli rogare possent*: & in quibus non sit *innitendum nostris rationibus*; quandoquidem aliàs non possit homo omnia Dei opera contueri. Adeoque de hoc non esse agendum scrupulosiùs. Sicuti etiam *Flacius* in Clavi Sacræ Scripturæ, in voce *Arbor* scribit: *Arbor* aut *lignum vitæ, pro re valdè salutari: Prov. XI. Fructus justi arbor vitæ. Cur porrò in Paradiso nominetur arbor scientiæ, aut vitæ non facilè fuerit certò statuere.*

IV. Sed sicuti paullò timidior hic fuit aursa aliàs dicens Chrysostomus: ita tàm Patres, quàm interpretes alii sine hæsitatione majorem sumserunt animum; & concordantibus suffragiis rectè dixerunt; *ARBOREM VITÆ* sic appellatam & denominatam fuisse ab *effectu*: Quòd *ex institutione divinâ certam relationem & vim efficiendi habuerit ad vitam hominis. Ita* enim *Augustinus* Tom. III. Lib. 8. de Genesi ad literam, cap. V. *Illud quoque addo*, inquit, *quanquam corporalem cibum talem tamen illam arborem præstitisse, quo corpus hominis sanitate stabili firmaretur.* Et *præced.* cap. IV. disputat contra eos, qui historicam hujus arboris descriptionem accipiant ùt allegoricam. *Illud*, dicens, *planè quod sequitur, Et lignum vitæ in medio Paradisi, & lignum scientiæ dignoscendi bonum & malum, diligentiùs considerandum est, ne cogat in allegoriam, ut non ista ligna fuerint, sed aliud aliquid nomine ligni significent.* Quemadmodum etiam *Lutherus* dixit, *Comment. in Genes. p. 21. Omnia sunt Historica. Id quod diligenter admoneo, ne incautus Lector offendatur auctoritate Patrum, qui historiam relinquunt, & Allegorias quærunt.* Quemadmodum v. g. *Origines Homil.* I. in Genesin scribit: *Hunc sanè hominem, quem dicit ad imaginem DEI factum: non intelligimus corporalem, non enim corporis figmentum DEI imaginem continet. Is autem, qui ad imaginem DEI factus est interior est homo noster & invisibilis*

bilis & incorporalis. Sic *Beda* quoque, uti videre est in *Glossâ Ordinariâ ad h. l.* scripsit. *Lignum vitæ dictum: quia divinitùs accepit, ùt qui ex eo mãducaret; corpus ejus stabili sanitate firmaretur, nec ulla infirmitate vel ætate in deteriùs vel in occasum laberetur.* Quæ, ùt & sequentia verba; *κατὰ πόδα* ad eundem hunc locum annotavit quoque & addit, *Hugo Cardinalis* ex eâdem Glossâ petita. Sic idem *Beda Tom. IV. Expositione in Genesin. p. 18.* scribit: *Fortasse enim cogat nos in allegoriam declinâre, ut non ligna sint. sed aliud ligni nomine significent. Sed cum sit Hierusalem æterna in cœlis, & alia Hierusalem in terra est: ergò & lignum vitæ, in quo erat sacramentum, & in cæteris lignis alimentum. Sacramentum autem, quid aliud, nisi sapientia.* Ubi *Arborem vitæ intelligit historicè*; accommodat tamen ad *sapientiam*. Ibidemq; *Strabus: Lignum vitæ hanc naturaliter virtutem habebat: ut qui ex ejus fructu comederet: perpetuâ solliditate vestiretur? nullâ infirmitate, anxietate, vel senii lassitudine, vel imbecillitate fatigandus.* Porro in eandem sententiam scripsit *B. Luth. cit. l. p. 20. Describit Moses Paradisum ita, ùt ex DEO hortulanum faciat, qui cùm hortum pro arbitrio cum magna diligentiâ plantavit, unam & alteram arborem deligit, quas præ reliquis colit & amat. Quarum una fuit arbor vitæ, ad hoc condita, ut homo eâ vescens servaretur integro corpore, sine morbis, sine fatigatione.* Sic adhuc ex nostratibus *B. Gerhardus*, Comment. in Genes. p. 51. quærit. *Quare arbor vitarum dicatur?* & respondet 1, *Longissimam vitam homini tribuisset. 2. non solum vivere, sed etiam benè vivere, id est tranquillitate & voluptate vivere homini dedisset. 3. non solum consumtum humorem naturalem restaurasset, sed etiam deperditum redintegrasset.* Ac *Diss. Isagog 22. cap. 9. §. 20.* rejectâ sententiâ Calvini, de quâ mox dicendum: *Rectiùs*, inquit, *sic dicta statuitur hæc arbor ab intrinsecâ facultate vitam hominis à senio, morbis & morte conservandi usque ad naturalem terminum, in quô sine dolore & morte in vitam Spiritualem & æternam fuisset translatus, hanc enim nominis rationem assignat DEUS ipse, Genes. 3. v. 22* unde & quæ Beati Viri sententia fuerit, & unde eam probari posse, censuerit, satis apertè liquet.

V. Assignant autem eandem *Appellationis rationem* etiam Pontificii. Sic enim *Gulielmus Parisiensis* Episcopus, quem vetusta Editio *Guilermum* vocat, *Tom. II. part. 1.* de Universo *fol. 50.* scribit: *Dixerunt sapientes Ebræorum & Christianorum: quia virtus ligni illius vitalis erat H. e. vitæ conservativa, ut quandiu homines illo ligno vescerentur, à morte corporis immunes penitus servarentur.*

tur. Et Alphonſus Toſtatus, Epiſcopus Abulenſis, ad *Cap. II. quæſt. 9. in medio hujus Paradiſi lignum vitæ erat, quod ſic vocatur ab Effectu: quia comedentibus vitæ diuturnitatem præſtabat.* Quod repetit in *cap. 13. Geneſ. quæſt. 165.* ſcribens: *Dicendum, quòd omnes concordant in hoc, quòd ſic vocetur, quia vitam dabat.* Sic quoque *Cornel. à Lapide in h. l. p. 72. Dicitur arbor vitæ*, id eſt, *vivifica, cauſa vitæ, vitam conſervans & prorogans: quia ſcilicet hæc arbor, comedentis vitam longiſſimè protendebat, eamque à morbis ac ſenio immunem, ſanam, quietam & jucundam tuebatur. Primò ergò hæc arbor vitam feciſſet longævam. Secundò valentem & robuſtam. Tertiò conſtantem, ut nunquam morbum aut ſenium incurriſſet. Quartò lætam & hilarem: pepuliſſet enim omnem triſtitiam & melancholiam.* Et quoad hanc ſuam ſententiam provocat quoque ad *Pererium*, & *Valeſium, Sacræ Philoſophiæ cap. 6.* Sic etiam *Johannes Stephanus Menochius in Brevi Explicatione Bibliorum*, ad *v. 9.* Cap. II. Geneſeos annotat: *Lignum vitæ: arbor vitalis ſeu vivifica, cujus alia erat naturalis facultas ut ex ejus fructibus comedenti, vita diutiſſimè, ac ſine morbis prorogaretur.* Jacobus *Bonfrerius* in *Pentateucho illuſtrato*, ad eundem locum; *Lignum vitæ*, hoc eſt, *vitalis arbor ac vivifica, quæ hominis vitam in longiſſimum tempus prorogaret, & fortè etiam perpetuandi vim haberet, reparato ſemper humido radicali ſine ullâ adulteratione, & impuritate & confortato etiam calore naturali, qui aliàs repatiendo ab alimentis ſenſim debilitatur.* Gulielmus Eſtius, *Annotationibus in præcipua ac difficiliora loca Sacræ Scripturæ* p. 4. *Lignum vitæ vocatur, quòd immortalitas hominis de ligno vitæ extitiſſet*; ùt dicit patere ex *cap. 3.* Leonardus Marius, *Comment. in Pentateuchum p. 28. Lignum vitæ. Vox* lignum, *pro* arbore, *& genitivus* vitæ *pro adjectivo* vitalis *ſeu* vivificus *ponitur, quaſi dicat: Produxit etiam Dominus DEUS arborem vivificam in medio Paradiſi. Sicuti verò intelligimus arborem corpoream: Ita & de vitâ corporali ſermo eſt, ſi hiſtoriam ſpectemus, etſi deinceps per allegoriam arbor Myſtica vitæq; Spiritualis intelligi poſſit.* Sic tandem *Johannes Mercerus* quoque Ebraicarum literarum Profeſſor Regius Pariſienſis, Reformatus; *Comment. in Geneſin* ad *cit. verſiculum 9.* poſtquam dixiſſet: *Reſtat horum nominum ratio explicanda, quod difficile videris, cùm tales nusquam poſt hac in terris arbores fuiſſe, aut ita nominatas legamus. Ac forſan alicujus ſpecies earum, quæ nunc ſunt in terra fuerunt, ſed ab effectu aut eventu nomina ſint illis hic indita. Sed hoc in medio relinquamus:*

mus: mox subjicit: *Arbor vitæ dicta est quasi* vitalis *seu* vivificans, *cujus scilicet fructuum esus homini vitam afferret, id est, tueretur & conservaret, ne seneſceret, aut incommodis valetudinis opprimeretur.*

VI. Ex quibus tot eruditiſſimorum Patrum & commentatorum dictis; quæ ideò citavimus in numerato, & quoad ipſorum verba, ut eò melius mens illorum perſpici, & res ipſa colluſtrari poſſet, arbitramur patere I. Hanc noſtram *ARBOREM VITÆ*, nomen ac denominationem ſuam accepiſſe à *relatione* ſeu vi efficiendi, quam habuit ad hominis vitam. Sive ab *effectu illo*, ad quem à DEO fuerat condita, & quem etiam produxiſſet, niſi triſtis Protoplaſtorum lapſus impedimento fuiſſet, & omnia interturbaſſet: Qui effectus fuiſſet, vitam hominis tueri & peculiari modo conſervare. II. Appellatam quoq; fuiſſe *Arborem vitæ*; non à vitâ hominis Spirituali, ſeu à vitâ *gratiæ*: ſed corporali ſeu vitâ *Naturæ*. III. Arborem hanc fuiſſe veram & *corpoream*, non figuratam, ſeu *allegoricam*. IV. Quemadmodum *Arbor ſcientiæ boni & mali* nomen ſuum acceperit à *FINE*, ſeu *USU* divinitùs conſtituto. Fuit enim *quadam velut ara & templum, in quo diſceret homo, quantum ſit bonum in concreatâ integritate perſiſtere, & quantum ſit malum, ab eâ deficere.* Ut *Diſp.* de illâ arbore *th. 6. & 7.* oſtendimus: Sic etiam *ARBOREM VITÆ*, nomen & appellationem ſuam accepiſſe, ab ejus *FINE USU* ſeu *EFFECTU*, ad quem à DEO fuerat condita, qui reſpiciebat *HOMINIS VITAM*. Unde & *Johannes Calvinus* rectè putat in *hunc locum*: Utriq; arbori Epitheta ſeu nomina impoſita fuiſſe *ab effectu*: neq; id *hominum, ſed DEI* placito. Ac inſuper *Dionyſius Carthuſianus*, Enarrationibus in Cap. II. Geneſ. rectè ex *Bonaventurâ* putat: *Lignum vitæ appellatum fuiſſe, non ab effectu, quem habuerit, ſed ad quem ordinatum; quem etiam habuiſſet, ſi homo ſtetiſſet.*

VII. Quemadmodum autem idem *Johannes Calvinus* in Commentario ſuo in Geneſin in multis frigidior eſſe ſolet; Sicuti v. g. *inimicitias illas, Geneſ. 3. v. 15.* explicavit de *odio naturali*, quod inter hominem & ſerpentem vigeat, dicens *Comment. p. 34. Simpliciter interpretor, hoſtile ſemper fore diſſidium humano generi cum ſerpentibus, quale hodie cernitur. Fit enim arcano Naturæ ſenſu, ut ab ipſis abhorreat homo.* Et ſtatim: *Uno etiam tenore contexo, quod mox ſequitur.* Ipſum vulnerabit caput tuum, & tu vulnerabis ejus calcaneum. *Tale enim odium fore denunciat, ut ſibi ultrò citrò q; moleſti ſint: Serpen-*

tem

tem hominibus infestum fore, & homines vicissim per deum serpentibus fore intentos. Sic etiam frigidam hujus appellationis attulit rationem, & *effectum*, à quo dixerat huic arbori Epithetum sive nomen fuisse impositum, tantùm *significativum* & symbolicum fuisse asserit, dicens *p. 16. Arbori autem vitæ nomen indidit, non quòd vitam homini conferet, quâ jàm antè præditus erat, sed ut symbolum ac memoriale esset vitæ divinitùs acceptæ.* Et paulò post: *Voluit igitur hominẽ, quoties fructum arboris illius gustaret, in memoriã revocare, unde vitam haberet: ut se agnosceret non propriâ virtute, sed DEI unius beneficio vivere: neq; esse intrinsecum bonum, ut vulgò loquuntur, sed à DEO provenire. Denique in arbore illâ extabat visibile hujus sententiæ testimonium, quòd in DEO sumus & vivimus & movemur.* Et iterum inquit. *Scio alios quosdam ad vitam corporalem restringere. Vim corporis vegetandi in arbore fuisse putant, ut ætate nunquam languesceret: Sed eos omittere dico, quod præcipuũ est in vitâ, nempe intelligentiæ gratiam, semper enim videndum, quorsum conditus fuerit homo, & quænam illi vivendi fuerit ratio. Certè ejus vivere, non fuit, habere duntaxat corpus floridum ac vegetum, sed animæ quoq; dotibus excellere.* Ita *Johannes Calvinus!* Ac eandem sententiam *Cornelius à Lapide* in *h. l.* tribuit quoque *Origeni* & *Eugubino*, scribens: *Dico primò, de fide est, fuisse hanc veram arborem: hæc enim ab Ebræis vocatur lignum, hocq; exigit simplex & historica narratio Mosis. Ita omnes veteres contra Origenem & Eugubinum, qui putant, arborem vitæ symbolicam fuisse, & symbolicè tantùm significasse & vitam & immortalitatem Adæ, si DEO obediret, promissam.*

VIII. Sed hanc sententiam unanimiter rejiciunt Interpretes, & quidem rectè. Reclamant enim verba ipsius DEI, *Cap. 3. v. 22. Nunc igitur*, dicentis, *ne extendens manum suam, accipiat etiam de fructu arboris vitæ, & comedat & vivat in seculum.* Uti *Thes. IV.* eadem verba quoque ursit *B. noster Gerhardus.* Certè si arbor hæc ideò fuisset dicta *Arbor vitæ, non quod vitam homini conferret, quâ jam antè præditus erat: sed ut symbolum ac memoriale esset vitæ divinitùs acceptæ*: non dixisset DEUS, *ne extendat manum suam & accipiat etiam de fructu arboris vitæ, & comedat, & vivat in seculum* nec etiam *per Cherubim viam ad Arborem hanc custodivisset.* Sic dicendum fuisset: Ne igitur homo *recordetur illius*, tanquam *Symboli ac memorialis vitæ*, aut eam *aspiciat*: ac *vivat in seculũ*. ac insu-

per de aliis mediis prospiciendũ fuisset, ut arboris hujus *memoria* ac *recordatio*, ex animo hominis fuisset deleta. Quoniam ergò DEUS usum hujus arboris, non in *memoriâ* aut *recordatione*; sed in *esu* constituit; & propterea, ne homo ex eâ ederet, Angelicâ custodiâ cavit; *ac* homo recordationem istius symboli & memorialis, quamvis ex oculis subtracti; etiam post lapsum habere potuisset: ideò clarum est, arborem istam quoque non potuisse inde accipere suam appellationem, Quicquid etiam obtenderit *Calvinus*. Nam & ipse *Petrus Martyr* comment. in Genesin. p. 11. rectè scribit: *De plantâ VITÆ, quarum virium fructus ferret, & vocis indicia & significationem non deseramus, dicemus*, Ut vita servaretur. *Restituebat ejusdem naturæ humiditatem, atq; fuerat illa, quæ priùs absumebatur: roborabat & naturalem calorem, ut suo perpetuo operi valeret sufficere.* Quæ *Calvino* planè contrariantur.

IX. Rationes *Calvini* quod concernit; dicit 1. *Scimus minimè esse insolens, ut virtutem suam DEUS externis symbolis testatam nobis reddat. Non transfert quidem in signa externa suam virtutem: sed nobis per eam manum porrigit: quia nisi adjuti, conscendere ad eum non possumus.* Quòd ùt puteat eòmeliùs, videamus exemplum. *Serpens aneus Numer. 21. v. 8. & 9.* signum fuit, *per quod tanquam externum symbolum virtutem suam DEUS testatam faciebat: non quidem ita, ut in illud tanquam signum externum suam virtutem transtulerit: Sed Ismëlitis per illud manum porrexit, quia nisi adjuti conscendere ad eum non possimus.* Ubi verum fuit, *virtutem sanandi*, non fluxisse ab *æneo serpente* tanquam à principio naturali, aut eidem fuisse intrinsecam: sed *à promissione & verbo*, eidem conjuncto & addito; adeoq; isti fuisse *extrinsecam*. Ita enim textus *v. 8. Edixit verò Jehovâ Moschi, fac tibi serpentem, & impone eum perticæ*, sive, ùt alii vertunt: *In signum: erit q; quisquis morsus fuerit, cùm aspexerit eum, sanitatem recipiat*, seu, ùt in Ebræo est, *vivat*. ac *v. 9. Et faciens Mosche serpentem æneum, imposuit eum perticæ*; seu *pro signo. erat q; cùm momordisset serpens aliquem, ut intuens in serpentem illum æneum, sanitatem reciperet*. Nempe sanitatem receperunt non à virtute *anei serpentis*, sed à virtute *promissionis* & *verbi divini*, huic serpenti additi. Ut retiam *Lucas Osiander* addidit: *Pone eum pro signo: ut apud illum divinitùs serventur. Leonardus Marius* in *h. l.* Vivet: *non ex naturali serpentis virtute. Cornel. à Lapide*: Non *quòd serpens hic aneus vim*

aliquam naturalem *eos curandi haberet: hoc enim est impossibile, uti fusè hic demonstrat* Abulensis: *sed quòd DEUS hoc signo viso, eos* miraculosè *curare. Fuit ergò hic serpens signum simul & instrumentum rale hujus cunctionis.* Quæ omnia confirmat *Sapiens, Cap. XVI. v. 6.* dicens: *Breve tempus fuerunt conturbati, symbolum habentes salutis ad recordationem mandati legis tuæ. Nam qui advertebat ad illud, non per illud servatus est, quod videbatur ab ipso; sed per Te Servatorem omnium.* Optimè serpentem vocat σύμβολον σωτηρίας *Symbolum salutis:* quia non ex sese & virtute *naturali*, sed *vi additi verbi* & adjunctæ *promissionis*, divinitùs conferebat salutem: & simul typus erat CHRISTI *Joh. 3. v. 15.* Hinc etiam Hiskias, cum Israelitæ ei aliquid tribuissent divini, eundem cuntudit & confregit, 2. *Reg. 18. v. 4.* simul ostendens, quòd nihil hic *serpens* haberet efficaciæ, sed in sese sit ænea quædam massa. Sed Respondemus *Calvino*: 1. collectio hæc: *Scimus minimè esse insolens, ut virtutem suam DEUS externis symbolis nobis testatam reddat.* E. *Arbori vitæ nomen indidit, non quòd vitam homini conferret, quâ jam antè præditus erat: sed ut symbolum ac memoriale esset vitæ divinitus acceptæ!* laborat illo morbo, qui dicitur: *Non valet consequentia*; Siquidem procedit à particulari. Etsi vel maxime probaret, *Possibile, potuisse* hoc fieri: diceremus ex Aristotele 3. *Metaphysic.* τῶν γὰρ μὴ ὄντων ἔνια δυνάμει ἔστιν, ἀλλ' οὐκ ἐντελεχείᾳ ἔστιν h, e. *Non entium quædam potentiâ sunt, non autem sunt, quoniam non actu sunt.* Et opponeremus illud tritum: *Quod est potentiâ tale, non est reverâ tale.* 2. Si vel maximè *signum* dici posset: non tamen *signum* esset merè *significans*: Sed simul *rem significatam conferens.* Quod enim subdit *Calvinus. Quod si Adam integer adhuc & rectæ naturæ monitoriis signis opus habuit, quæ eum in divinæ gratiæ notitiam deducerent, quando major hodiè necessitas, in tantâ ingenii nostri imbecillitate, ex quô verâ luce excidimus:* Id 1. nihil ad rem facit. 2. olet lucernam Sacramentariam, subindicans Sacramenta tantùm signa gratiæ *significantia*, non verò gratiam *conferentia* esse & 3. non agitur hic de *notitiâ* divinæ gratiæ: Sed de *conservatione corporalis vitæ.* Uti ex dictis satis potest constare.

X. Quod porrò disputat II. dicens: *In arbore illa extabat visibile hujus sententiæ testimonium, quòd in DEO sumus, & vivimus, &*

movemur. Quod Pauli pronunciatum fuit, *Act. 17. v. 28. Et Arbori vitæ DEus nomen indidit, ut symbolum ac memoriale esset vitæ divinitùs acceptæ!* ne id quidem vel tantillum probat. Respondemus enim 1. non fuit hæc arbor à DEO condita, ut esset *illius sententiæ visibile testimonium:* sed ut esset *peculiare conservandæ vitæ hominis medium*, ùt ex *Thes. 8.* patet. 2. Si vel maximè homo circa illam arborem potuisset cognoscere; *se non propriâ virtute, sed DEI unius beneficio vivere*: finis ille fuisset *secundarius* & *communis* huic arbori cum omnibus aliis plantis, arboribus, & fructibus edulibus. Potuisset enim homo, quotiescunque fructum aliquem decerpsisset ex quavis arbore aliâ, hujus rei recordari, & piè cognoscere, *se non propria virtute, sed DEI unius beneficio vivere*, qui in hac arbore sibi cibum produxisset. Ac ita omnes arbores fructiferæ fuissent quantum ad hoc *Arbores vitæ*, quod absurdum & *textui* contrarium.

XI. Quod dicit III. *Cæterum non displicet, quod à nonnullis Patribus, ut Augustino & Eucherio, traditum est, Fuisse arborem vitæ CHRISTI figuram, quatenus sermo est æternus DEI: imo non aliter, quàm eum figurando, vitæ symbolum esse potuit. Tenendum est enim quod habetur primo Johannis capite, in sermone inclusam fuisse rerum omnium vitam; præsertim verò hominum, quæ cum ratione & intelligentiâ conjuncta est. Quare hoc signo admonitus fuit Adam, nihil sibi quasi proprium vendicare, ut totus à Filio DEI penderet, nec alibi, quam in ipso vitam quæreret. Quod si ille vitam, quo tempore intolumem possidebat, non nisi in DEI sermonem repositam habuit, nec aliter servare potuit, quàm si illi acceptam ferret: perditam recuperare, unde nos oportet? Sciamus ergò, ubi à CHRISTO discessimus, nihil præter mortem nobis restare!* In eo itidem nihil invenitur, quod inconvenienti ejus sententiæ robur posset addere. Respondemus enim 1 Ex loco *capitis 3. v. 22.* evidenter constare, arborem hanc, appellationem suam fortitam fuisse non à *figurando*, nec à *memoria* aut *symbolo vitæ*; sed ab eo, quòd ex divinâ institutione *realem influxum & efficaciam habuerit in ordine ad hominis vitam.* 11. An autem consequenter, ùt typus accommodari potuerit ad CHRISTUM? & quidem non solùm, ùt est verbum DEI sive ὁ λόγος; & quidem verbum δι' οὗ πάντες. *Joh. 1. v. 1.* per quem omnia facta sunt: Sed etiam, prout ratione

Redem-

Redemtionis nobis verè est *ARBOR VITÆ*, salutem conferens æternam? de eo hîc non est quæstio. Allegorica enim hæc sunt, quæ non tollunt rationem historiæ. Hinc ipse *Augustinus*, ad quem *Calvinus* provocat, *Libr. VIII. de Genes. ad literam, cap. 4.* allegoriam quidem commemorat, quâ & *ARBOR* hæc *VITÆ*, & *Petra percussa*, 1. *Cor. 10. v. 4.* allegoricè & ùt typus accommodentur ad CHRISTUM: interea autem hæc ipsa *corporaliter quoque fuisse*, uti loquitur; libentissimè concedit. Inquit enim inter alia: *Et quando à narrante commemorata sunt, non erat illa figurata locutio, sed earum rerum expressa narratio, quarum erat figurata professio.* Eadem sine dubio etiam mens est *Eucherii*; aut si aliter sentit, nihil veritati præjudicat. 3. Quòd ergò dicit: *imò non aliter, quàm eum figurando vitæ symbolum esse potuit*; simpliciter ut falsum rejicitur, Ac 4. Si hæc ratio vera esset. *fuisse arborem vitæ CHRISTI figuram, quatenus sermo est æternus Dei, quia in eo inclusa fuerit omnium vita.* Non videamus, cur idem eodem jure asserendum non sit de *Patre* & *Spiritu Sancto.* Quod autem 5. scribit: *Quare hoc signo admonitus fuit Adam, nihil sibi quasi proprium vendicare, ut totus à Filio DEI penderet, nec alibi, quàm in ipso vitam quæreret:* repetendum est ex Th. X. commune hoc futurum fuisse Arbori huic cùm arboribus aliis; & usum hunc fuisse *analogicum*: ac si ad *Incarnationem* respexit, fortè *Calvinus*, docemus nos: *Si Adam & Eva non peccassent, CHRISTUM incarnatum non fuisse*; uti *Diss. IX. Isagogica cap. 7. thes. 42.* contra quosdam Pontificios & Calvinianos docuit. B. noster *Gerhardus.* Ac idem quoque contra *Rupertum*, *Scotum*, *Albertum*, *Alexandrum*, *Catharinum*; ex sententiâ *Thomæ* defendit *Becanus Tom. I. Operum, quæst. 7.* qui videri potest.

XII Quòd tandem IV. dicit; *eos qui hujus Arboris appellationem ad vitam corporalem restringant, omittere, quòd præcipuum sit in vitâ, nempe intelligentiæ gratiam. Semper enim videndum quorsum conditus fuerit homo, & quænam illi fuerit vivendi ratio. Certè ejus vivere non fuit habere duntaxat corpus floridum & vegetum, sed animæ quoque dotibus excellere.* Ad illud respondemus: I. confundit *Calvinus* vitam *naturalem*, & vitam *Spiritualem*. *Arbor vitæ à naturali* vitâ nomen accepit, non *à Spirituali*. II. Spiritualis vita; obedientia erga DEUM, dotes animæ; conservatio imaginis divinæ & usus arboris vitæ; pertinebant ad *ARBOREM SCIENTIÆ BO-*

NIET MALI, non autem ad *ARBOREM VITÆ*. Si enim primi Parentes Arborem illam non violassent, sed præcepto Dei tàm claro & luculento, debitam obedientiam præstitissent; & quidem in tantâ facilitate non peccandi: omnia illa non solùm conservata, sed etiam homo in iis, & in bono confirmatus fuisset. Quia autem id non fecit: ideo omnia illa per lapsum miserè fuerunt deperdita. Unde III. *ARBOR VITÆ* quoque per se non pertinuit ad *ANIMAM rationalem*, quippe quæ suâ naturâ est immortalis: sed ad *Corpus & Vitam corporalem*. Ut ita nihil efficiat *Calvinus*, quicquid etiam afferat & prætendat. Relinquitur ergò iterum, *ARBOREM VITÆ* sic appellatam fuisse à *FINE, USU, ET EFFECTU*, ad quem divinitus ordinata, instituta fuerat, & condita: ut nempe esset *medium peculiari ratione conservandi vitam naturalem & corporalem corporis, ut homo immortalis esset*. Non autem inde, quòd *symbolum* ac *memoriale* fuerit *vitæ* divinitùs acceptæ. Ac hactenus, quamvis paullò longiùs de *arboris* hujus *NOMINE* & *APPELLATIONE*.

XIII. *CAUSA EFFICIENS* hujus *Arboris* itidem fuit DEUS. Dicitur enim *v. 9. Produxit DOMINUS DEUS de humo omne lignum, pulchrum visu, & ad vescendum suave. Lignum etiam vitæ in medio Paradisi, lignumque scientiæ boni & mali.* Conferri potest *versiculus* 11. *capitis I.* Quòd igitur Arbor hæc *vera ARBOR*, & à DEO producta fuerit, est in confesso. Hinc ita *Tostatus* in cap. 3. Gen. quæst. 160. *Dicendum est, quod lignum vitæ erat verè quædam arbor in Paradiso, sicut cæteræ Arbores, quantum ad veritatem Naturæ: licet in virtute & fortè in specie differret.* Illud igitur considerandum est: *An tantùm unicum productum fuerit hujus Arboris individuum, an verò plura?* In Ebræo enim habetur nomen עֵץ, *Lignum* sive *Arbor*, quod & *speciem* significare potest, pluribus individuis constantem, & *unicum individuum*; ut patet ex *cap. 3. v. 2.* ubi plures arbores significat, dum dixit Eva: מִפְּרִי עֵץ הַגָּן נֹאכֵל *De fructu ligni horti comedemus.* Ubi, quin vocula עֵץ *plures* significet *arbores*; nemo dubitat. Sic etiam *Drusius* ad loca difficiliora Geneseos p. 22. circa *capitis 3. versiculum 8. in medio arboris horti*; ex quo *Johannes Temporarius*, propter numerum singularem collegerit, *ficum Indicam fuisse, sub quâ Adam cum uxore delituerit, & cu-*

jus

jus foliis postea se texerit, annotat: *Arboris* ibi positum esse pro *Arborum*, ut *Exod. 10. 15.* legatur, *omnem fructum Arboris, quem reliquum fecerat grando. Johannes Calvinus*, quem modo dimisimus *in h. l.* dicit: *Incertum est, duone tantùm individua, an duas arborum species designet, utraque opinio probabilis est: res verò minimè digna pro quâ contentio sumatur: quandoquidem vel parum, vel nihil nostrâ interest, utrumvis asseratur.* Ubi quidem non admodum malè judicat, rem esse minimè dignam, pro quâ contentio sumatur. Scitè enim & *Augustinus* inquit, *Lib. VIII. de Genes. ad literam, cap. V. Melius est dubitare de occultis, quam litigare de incertis!* Videbimus tamen, quid hîc *Interpretes* alii sentiant, & quid quàm proximè accedat ad textum. Asserunt itaque plerique alii *Prius*, statuentes: Non nisi unicum hujus Arboris individuum fuisse. Unde *Mercerus*, postquam dixisset *p. 49. Hîc dubium esse potest, de duobus ne individuis arborem dicat, an verò de duplici arborum specie*, subjungit: *Quod quanquam parvi refert, video tamen, & nostros, & Hebraos magis illud sequi, ut duo tantum fuerint individua arborum, ex quibus postea tota terra erat propoganda, in usum totius posteritatis Adami.* Ita *Mercerus*. Sic *Tostatus* in cap. 13. Genes. quæst. 136. disputat. *Lignum vitæ unum tantùm fuisse in specie sua.* Et urget *1. numerum*, dicens: *Dixit lignum singulariter. E. unum tantum erat.* Quod argumentum tamen non est firmum, ut ex præcedentibus patet. *2. Quia Lignum hoc dicatur fuisse in medio Paradisi. Plura autem si fuissent, non potuissent omnia esse in medio Paradisi.* Centrum enim non nisi unicum datur. Sed nec hæc ratio irrefragabilis: Quia *Medium* sumi posset pro *capacitate satis amplâ*; nec necesse est, *Mathematicè* hoc sumere, ut ostendemus Disp. sequenti: *Quia dicatur cap 3. ne sumat de ligno vitæ; 4.* Item *Cherubim custodivisse viam ad lignum vitæ; & ita* utrobique *significari unicum. 5. Quia sufficerit unicum, quoniam paucis cibus inde fuerit sumendus.*

XIV. Eadem quoque sententia est *Jacobi Bonfrerii Professoris sacrarum literarum & linguæ sanctæ in Academiâ Duacenâ*, dum inquit *comment. in Genes. p. 117. Nota verisimile esse, unicam tantùm fuisse arborem vitæ; id enim Scripturæ verbis videtur convenientius: neq; vero pluribus fuit opus, cùm duo initiò tantùm essent homines, & una illa, etsi multò plures fuissent, sufficisset, cùm non esset illa quotidianus cibus, sed subinde tantùm per modùm medicinæ sumeretur. Au-*

Eo tamen humano genere, nihil vetat dicere, hanc arborem propagandam, sive in Paradiso, sive fortè etiam extra Paradisum, ad eum modum, quo certæ arbores propagantur. Verisimilius igitur videtur, unicum tantùm fuisse hujus arboris individuum, & quidem specialiter in hunc finem à Deo productum: quoniam scriptura semper loquitur de eo in singulari, nec urgens ratio sit, quare nomen יעץ; *collectivè* sumatur; estque probabile, utramq; *ARBOREM*, tàm *VITÆ*, quã *SCIENTIÆ BONI & MALI* valdè conspicuã, floridam & pulchram fuisse, unde & *Lutherus* in verbis, *Thesi IV.* citatis, *Deum ut hortulanum has ARBORES præ cæteris coluisse & amasse, dicit.* Litem tamen propterea nemini movebimus. Nam etiam *Rungius* in *h. l.* scribit: *Comment. in Genesin, p. 112. An tantùm de uno individuo loquatur Moses, an verò certam arborem speciem notet, non est opus disputare, cum utrumque possit statui.* De *una* tamen quadam arbore nobili, accipit quoque cit. l. B. noster *Lutherus.* ut & quæst. XII. in Cap. II. *Gesnerus.*

παέρεργα.

1. *An scientia illa, secundùm quam Adamus Genes. 2. vers. 20. cuique animalium nomina imposuit, fuerit concreata, an verò experimentalis, & multis laboribus acquisita?*
2. *An somnus Adami productionem Evæ antecedens, Genes. 2. vers. 21. fuerit naturalis?*
3. *An costa illa, ex qua condita fuit Eva, Genes. 2. v. 22. fuerit supernumeraria?*
4. *Serpens, qui seduxit Protoplastos, Genes. 3. v. 4. nec merè naturalis, nec merè infernalis, sed personatus fuit. Serpens nempe naturalis à Satana obsessus & aliquandiu inhabitatus.*

DI-

DISPUTATIONUM THEOLOGICARUM

De

ARBORE VITÆ

SECUNDA.

RESPONDENTE

M. JOHANNE Knopff/ Altenbrocâ Hadelensi.

THESIS PRIMA.

COnsideravimus cum DEO, in Disputatione præcedenti *PRIMA, APPELLATIONEM* & *causam EFFICIENTEM* hujus *ARBORIS*. Pergimus itaq; nunc ad ejusdem *MATERIAM*: Quæ fuit *Humus*, sive Terra. *Produxit enim Deus de* humo *omne* lignum *pulchrum visu, & ad vescendum suave, Lignum etiam vitæ in medio Paradisi*; ut loquitur Textus, *Cap. 2. v. 9.* Si itaq; DEUS de humo produxit *omne lignum*: etiam inde produxit hoc lignum, quod fuit *Lignum* seu *ARBOR VITÆ*. Hinc *Quæst. 26. in Genesin, pag. 9.* scribit *Theodoretus, Episcopus Cyrensis*: in quâ civitate à *Cyro* in extremis Persiæ finibus conditâ, *octingentis* præfuit *Parochiis. E terrâ orta esse hujusmodi ligna, perhibet Scriptura, non igitur alterius fuit naturæ, quàm reliquæ plantæ.* Deseritur autem meritò *Hieronymus*, qui *Tom. IV.* Quæstionibus, sive Traditionibus Ebraicis in Genesin: ex vocabulo מִקֶּדֶם, *Genes. 2. v. 18.* quod *versus Orientem*, vertendum est; pro quo autem *Aquila* posuit: ἀπὸ δεχῆς. *Symmachus* verò ἐκ πρώτης; & *Theodotio* ἐν πρώτοις. Quod & ipsum non *Orientem* significet, sed *Principium*: colligit; *Paradisum ab exordio creatum, & creaturarum initium fuisse.* Dicit enim: *Ex quo manifestissimè comprobatur, quòd priusquam cœlum & terram DEUS faceret: Paradisum antè condiderat, sicut & legitur in Ebræo. Plantaverat autem DEUS Paradisum in Eden à principio.* Sed in Ebræo non est בְּרֵאשִׁית *à principio*, quod *Genes. 1. vers. 1.* legitur; sed מִקֶּדֶם; *ex Oriente*, vel *versus Orientem.* Quod non leve est

erra-

erratum in tanto Patre, Ebraicæ literaturæ, non ignaro. Quamvis enim vox קֶדֶם aliquando ἀρχὴν significare concedatur, ùt *Prov. 8. v. 22. Initium viarum suarum, ἀρχὴν ὁδῶν, possedit me DOMINUS:* tamen hoc in loco significatio illa locum non habet. Quemadmodum igitur, de *ARBORE SCIENTIÆ BONI & MALI* in ista *Disputatione, Thes. IX.* docuimus: Quòd *condita illa fuerit, ùt arbores quoque aliæ, creatione mediatâ. Quoniam primò fecerit DEUS cœlum & Terram, Genes. I. v. 1. ex terrâ autem deinceps fecerit lignum, faciens fructum die tertiâ, Ibid. v. 12.* Et quidem, *quòd creata fuerit cum fructibus: perinde sicut arbores aliæ, etiam cum suis fructibus productæ fuissent:* Ita etiam omnia illa de *ARBORE VITÆ* hîc volumus repetita. Condita videlicet fuit & ipsa *Creatione mediatâ*; producta ex terrâ, virtute Verbi divini. Condita fuit & ipsa statim cum suis fructibus. Si enim eos nondum habuisset, periculum non fuisset, ne *homo extendens manum, accepisset etiam de fructu ARBORIS VITÆ & comedisset!* Contra id, quod *Cap. III. v. 22.* Textus affirmat. Quòd enim *productio rei ex materiâ quidem præexistente, sed inhabili, & sine præviis naturalibus alterationibus facta:* etiam sit & vocetur *CREATIO*, juxta phrasin Scripturæ, & modum loquendi Ecclesiæ, manifestius est, quàm ut probari debeat. In solo enim *versiculo XXVI. Capitis I. Geneseos*, ter de productione Hominis usurpatur Verbum בָּרָא quod unanimiter Interpretes acceperunt de *CREATIONE*, quamvis *mediatâ*, & factâ ex materiâ præexistente, sed inhabili. Neque meminimus ullum interpretem fuisse qui verbum בָּרָא, hic explicuerit per verbum *Genuit*, aut *Generavit*, Hinc B. noster *Gerhardus* sententiam de hac voce receptam ita exposuit, *Disput. Isagog. X. Cap. I. §. 2.* בָּרָא, *Creare; in propriâ & nativâ significatione, primò & principaliter est, ex nihilo aliquid facere*, Genes. I. v. 1. *unde R. D. Kimchi dixit*, בָּרָא *propriè usurpari de re, quæ à non esse ad esse producitur.* Secundariò & *tamen* propriè *est ex materiâ præexistente sine præviâ alteratione novum quid producere, ad quod illa naturalem aptitudinem minimè habebat; ex materiâ quidem sed non tanquam ex seminario, ex quo simile quid creatura* produ-

producere posſit; ex materiâ inhabili, indiſpoſitâ & prò mero nihilo habendâ, aliquid omnipotente virtute producere, Geneſ. 1. v. 17. *unde* Damaſcenus *dicit lib. 2. orthod. fidei cap. 5 DEUM omnia quidem ex nihilo creaſſe, interim alia* immediatè, *alia verò* mediatè. *In utraque ſignificatione verbum CREANDI ſoli vero DEO tribuitur, utrumque enim eſt omnipotentia divinæ opus, ex nihilo aliquid facere, & ex præjacente materiâ ſine præviâ alteratione novum quid producere, ad quod illa naturalem aptitudinem minimè obtinet.* Hæc *B. Gerhardus*. Si igitur aliquis *priorem* ſignificationem vocabuli בָּרָא ſolùm urgere velit, & inde colligere, *ARBOREM VITÆ* non fuiſſe *creatam:* cum *Creatio* in propriâ & primariâ ſignificatione ſit productio rei ex nihilo: placidè cogitet *utramque* ſignificationem eſſe *propriam*, uti docebat *Gerhardus*; *utramq;* etiam in Sacrâ Scripturâ haberi; ac *utramque* inſuper conſtanter hactenus uſurpatam fuiſſe in foro Eccleſiæ: *unde ex priori* ſignificatione non debeat impugnare iſta Significatio *Altera!*

II. Sed id potiùs videamus, *quomodo ARBOR hæc producta dicatur* בְּתוֹךְ הַגָּן *in medio horti? Mercerus* tradit, Ebræos dicere in eodem ordine ſeu areolâ fuiſſe in horto conſitas has duas arbores conſpicuas, hinc unam, inde alteram. Hoc בְּתוֹךְ autem ſive medium exponit *intra:* & quamvis Onkelos & alii vertant in medio, in medio ſcilicet horto, latè medium ſumendo: ſatius tamen eſſe dicit, exponere *intra*, quòd non in terminis ſeu finibus horti, ſed ſatis intra horti ambitum eſſent. Sic etiam *Bonfrerius dicit: Illud in medio Paradiſi, non ſumendum Mathematicè ſed ut idem ſit, quod inter alias arbores; vel Hebraiſmo, inter alias arbores conſpicua & ſpectabilis.* Ac *Abulenſis* in cap. 13. Geneſ. quæſt 159 ſcribit: *Dici poteſt duobus modis: Uno modo, quòd in medio Paradiſi per æquidiſtantiam, vel quaſi in medio eſſet lignum vitæ. Secundo modo accipi poteſt medium per Interpoſitionẽ. Et ita omne, quod eſt intra rem, eſt in medio rei.* Allegoricè autẽ hoc explicuit *Aloyſius Novarinus in Moſe expenſo, p. 55.* dicens: *Cur in medio vitæ lignum poſitum? ideo*, inquit Raulinus, *lignũ vitæ in medio Paradiſi erat, ut per hoc ſignificaretur, quòd qui temperantiã & medium ſervat, bene regit vitã naturæ, acquirit vitam gratiæ, & meretur vitã gloriæ.* Concedendũ eſt, illud; in medio Paradiſi, non ſumendũ eſſe *Mathematicè*: interim tamen

dubium non eſt, *latè* ſumendo vocabulum *medii*, omninò *ARBOREM* hanc in mediô Paradiſi productam fuiſſe. Fuit enim ut *ARBOR* aliqua inſignis in loco maximè quoque inſigni, & conſpicuo à DEo producta. Qualis locus aliàs eſſe & haberi ſolet locus medius! Notabiles verò ſunt etiam *Judæorum fabulæ*, quas de *Quantitate Arboris VITÆ*, ad *Materiam* ejus pertinente, habent. De quibus ita *Guilielmus Pariſienſis Tom. II. part. 1. de Univerſo, fol. 59. Cave autem tibi f bulis & delimmentis Ebræorum, quibus nec alienationes febricitantium errore; & incredulitate compambiles ſunt. Una* eſt autem *ex deliramentis eorum, quòd arbor ſive lignum vitæ in ALTITUDINE habeat iter quingentorum annorum: quapropter groſſities ejus, hoc eſt, trunci vel ſtipitis ejus, major erat, groſſitie totius terræ.* Aliud *deliramentum eſt, quòd dicunt, Arborem vitæ ambulaſſe.* Quæ Judæis pulpamenta relinquamus!

III. Sed progredimur nunc ad *FORMAM*. Ubi quidem *ARBOREM* hanc *VITÆ* fuiſſe ex genere arborum & plantarum, adeoque animam vegetativam habuiſſe, certum eſt: Sed cujus ſpeciei fuerit, id adeô incertum, ut ne quidem probabiles conjecturæ de eâ re apud Interpretes reperiantur. Suſpicatur quidem *Mercerus* in verbis *Theſ. V.* citatis: *Has arbores forſan alicujus ſpeciei earum, quæ nunc ſunt in terrâ, fuiſſe:* Sed *ſuſpicatur!* & cujus ſpeciei nominatim iſta ARBOR VITÆ fuerit, ne conjecturâ quidē auſus eſt conſequi aut indicare. Unde neceſſariò cogimur hic ſubſiſtere, & contenti eſſe iis, quæ revelata ſunt: nempe fuiſſe hanc ARBOREM, veram arborem productam à DEO in medio Paradiſi, & eam peculiarem vim & efficaciam habuiſſe in ordine ad hominis vitam corporalem. *Patet enim, fruſtrà peti, cujus ſpeciei eſſet illa Arbor; vel fructus illius, cùm ea ſpecies nobis non ſit viſa, nec cognita.* Uti *cit. l.* rectè judicat *Bonfrerius*. Et verbis, *Theſ. 13.* citatis *Toſtatus* dixit: *Quòd in ſpecie fortè à cæteris differret.* Quod pluribus perſequitur, *Quæſt. 161.* dicens: *Sed meliùs dicitur, quòd illud lignum non erat in eadem ſpecie cum aliqua de arboribus, quæ ſunt in terra noſtra aut alibi extra Paradiſum.* Et poſteà: *Dicendum eſt itaque Arborem vitæ pertinuiſſe ad aliquam ſpeciem unam, cujus ſpeciei nulla arbor eſt inter nos.* Et ſtatim: *Voluit autem DEUS ſpeciem illam tam perfectam producere in genere Arborum, ut nihil ei æquetur, imò neque aſſimile-*

tur

tur in virtute & operatione. Quia, ùt in Antecedentibus dixit: *per cibationem conferebat aliquid illa arbor, quod non conferebant alia.* Sic etiam *Augustinum Torniellum* in *Annalibus sacris pag. 50* ex eo, quòd Arbor hæc effectum suum producere potuerit non *per extrinsecum, & supernaturale quoddam DEI munus*; sed *per vim propriam divinitùs inditam*; colligit: *Quod fuerit specie à cunctis aliis arboribus à Deo creatis longè diversa.* Siquidem nulla alia Arbor *malem valuerit effectum producere. Cùm igitur*, inquit, *ejus operatio esset singularis, & ab omnibus aliis cæterarum Arborũ virtute differret; oportet quòd etiam natura ejus & species esset ejusmodi.* Quoniam autem ex ejus proprio *FINE*, aliquo modo perveniri potest in meliorem cognitionem *Naturæ* hujus *Arboris*: ideò hîc unam ac alteram *QUÆSTIONEM* tangemus, quæ aliàs ad *FINEM* quoq; referri possent, & sine quibus non possent expediri, quæ deinceps sunt tractanda.

IV. Expediendum est videlicet & explicandum ante omnia. I. *An primi homines fuerint immortales? & qualis ista immortalitas fuerit?* Negant itaque primorum hominum immortalitatem 1. *Pelagiani*, qui docuerunt, *hominem fuisse moriturum, etiamsi non peccasset.* Sic enim *Augustinus* de iis, Tom. VI. de Hæresibus, ad Quodvult DEUM, hæres. 88. lib. D. *Ipsum quoque Adam dicunt, etiam si non peccasset, fuisse corpore moriturum, neque mortuum merito culpæ, sed conditione naturæ.* Et *Tom. II. Epist. CVI. pag. 185.* lit. B. inquit: *Objectum est enim eum* nempe Pelagium, *dicere; quia Adam sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset.* II. *Augustinus Eugubinus*, qui *in annotat. Genes. 2.* scripsit: *Ex Adami lapsu genus humanum non corporis, sed animæ mortem incurrisse, & fuisse homines morituros, etiam antequam peccassent.* 3. *Photiniani*, qui negant, *Adamum esse in immortalitate conditum.* Uti videre est in Catechismo Racovienſi *p. 21.* quin addunt, *ne quidem sciri potuisse ab Adamo immortalitatis viam*, p. 26. Sed contra hanc sententiam ex professo disputat *Augustinus Tom VII. de Peccatorum meritis & remissione. Lib I. cap. 2. & seqq.* inter alia *Cap. II* dicens: *Qui dicunt, Adam sic creatum, ut etiam, sine peccati merito moreretur, non pœnâ culpæ, sed necessitate naturæ; profectò illud, quod in lege dictum est: Quâ die ederitis, morte moriemini; non ad mortem corporis, sed ad mortem animæ, quæ in peccato sit, referre conantur. Quâ morte mor-*

tuos significavit Dominus in fideles, de quibus ait: Sine mortuos sepelire mortuos suos. Quid ergò respondebunt, cùm legitur hoc DEUM primo homini etiam post peccatum increpando & damnando dixisse: Terra es & in terram ibis? Neq; enim secundùm animam, sed quod manifestum est, secundùm corpus terra erat, & morte ejusdem corporis erat iturus in terram. Inter Christianos ergò Orthodoxos; & qui veraciter fidem Catholicam tenent, constat, primos nostros parentes fuisse immortales, & etiam ipsam corporis mortem non contigisse nobis lege Naturæ, sed merito peccati inflictam esse, quia peccatum vindicans DEUS dixit primo homini, in quo tunc omnes eramus: *Terra es & in terram ibis*! Fuit enim Immortalitas pars imaginis divinæ in primo homine, eiq; propria; quia 1. *fecit DEUS hominem ἐπ' ἀφθαρσία ad conditionem incorruptam, Sap. 2. v. 24. 2.* DEUS condidit hominem *ad imaginem suam, Genes. 1. v. 27.* & ita ad immortalitatem. 3. nulla causa physica mortis aderat. 4. DEUS homini mortem, ùt pœnam peccati comminatus fuerat, *Genes. 2. 17.* 5 quia mors ex invidiâ Diaboli intravit in mundum. *Sap. 2. v. 24.* E. non est naturæ conditio. 6. quia CHRISTUS nos liberavit à morte, tanquam à pœnâ peccati. 7. In vitâ æternâ *mors non erit, Apocal. 21. v. 4.* E. nec in statu integritatis fuit. Quia in vitâ æternâ erit restitutio statûs integritatis, & ἀποκατάστασις πάντων, *Act. 3. v. 10.* Uti pluribus videri potest apud *Gerhardum*, Disp. Isag XXII. cap. 9. §. 5. Hinc etiam *Sixtus Senensis* Lib. V. Bibliothecæ *Annot. XXXVI.* reprehendit *Augustinum Eugubinum*; quamvis eandem sententiam, quam ipse tradit, habeant quoque *Philo*, in *lib. 2. Allegoriarum Legis*; *Josephus lib. 1. Antiquit. c. 1.* & *Eucherius Lib. 1. comment.* in *Genesin*. Et contrarium definitum fuit in *Concilio Milevitano, cap. 5.* Subdidit tamen *Eugubinus*: *Si hæc parùm Christiana sunt, retracto, promteq; refello.* Et *Guilielmus Estius* Commentariis in Quatuor Libros Sententiarum, *Lib. II. dist. 19. §. 1. p. 189.* rectè propterea scripsit: *Tradit fides Catholica, mortem corporis, hominibus non Naturæ necessitate, perinde ùt brutis animantibus accidere, sed eam merito peccati, quod est mors animæ, intrasse in genus humanum. Quæ quidē manifesta est doctrina Scripturæ sacræ, causam mortis ubiq; in peccatum referentis.* Et §. 2. contra *Scotum*, asserentem, *Homines in statu Innocentiæ morituros fuisse propter Elementorū pugnam*;

nam; nisi DEUS translatione illud prævertisset; talemq; mortem naturalem eidem futuram fuisse: rectissimè disputat pro *Negativâ*: Quoniam juxta ordinem rerum à DEO semel institutum, non *potuerit*, nec *oportuerit* hoc fieri. Quandoquidem, ùt §. 4. *scribit*: *voluntate atque potentiâ DEI, humanum corpus immune fuisset à pugnâ elementorum, tendente ad mixti dissolutionem.* Videatur *August. de Civ. D. lib. 13. c.* 15. & idem *Sixtus, annot. 52.*

V. Sed *qualis fuerit ista immortalitas?* dispiciendum est, *Athanasius* de Incarnatione Verbi, *pag. 60.* dicit: *Hominem secundùm Naturam esse mortalem, sed tamen non fuisse moriturum propter imaginem DEI. Augustinus* Lib. 10. de Genesi ad literam cap. 19. videtur hanc *immortalitatem* adscribere *ARBORI VITÆ Thomas* part. 1. quæst. 97. art. 1. statuit, *futurum fuisse vi animæ, ex quâ in corpus transitura fuerit, plenitudo sanitatis, & perpetuæ in corruptionis vigor. Scotus* autem *2 dist. 29* hoc negat, uti jam etiam ex *Estio* adductum est, & dicit, *futurum quidem fuisse corpus dissolubile, nunquam tamen moriturum fuisse hominem, quia DEUS prævenisset tempus dissolutionis, transferendo eum ex hac vitâ in cœlestem, absque morte.* Ubi quidem omnes consentiunt, hominem *moriturum non fuisse* si in statu integritatis permansisset: sed *Athanasius* hanc immortalitatẽ suspendit ab *imagine divinâ*; *Augustinus* ab *arbore vitæ*: *Thomas* ab *influxu animæ*: *Scotus* à *divinâ prævẽtione* & *translatione in vitam cœlestem.* Sic *Jacobus Bonfrerius* in *h. l.* scribit: *Nota, hominem in Paradiso & statu innocentiæ futurum fuisse suapte Naturâ mortalem, divino tamen munere ac beneficio immortalem, atque adeò hanc immortalitatem longè fuisse inferiorem immortalitate Beatorũ in cœlo.* Ac postea addit, quod hæc immortalitas *in duobus* constiterit 1. in *remotione causarum mortis intrinsecarum*, quæ sint *defectus humidi radicalis*, & *caloris naturalis debilitatio.* Ne igitur humidum radicale deficeret; data erant homini alimenta. Dixerat enim Dominus *v. 16. De omni ligno Paradisi comede* Ne autem per assumtionem alimentorum paullatim & humidum illud radicale & calor nativus debilitaretur aut deficeret. Illud enim, quod restituitur, ferè minùs sincerum est, nec ad humidi nativi bonitatem accedit, unde homo paulatim senescit, & bona corporis constitutio deficit: calor verò naturalis debilitatur repa-

repatiendo ab alimentis: *Ideò contra has causas intrinsecas*, inquit, *erat arbor vitæ: nam præter aliarum arborum fructûs optimi succi & alimenti, hujus arboris fructus tanquam antidotum erat, & medicina, ut per eum, quicquid in aliis alimentis minùs purũ esset, corrigeretur, & radicale humidum in suâ sinceritate conservaretur, item ꝯ ut calorem naturalem confortaret; & sic immortalem diutissimè, imò in perpetuum, si ita necesse foret, in eo flore juventutis, in quo creatus erat, conservaret.* 2. In *remotione causarum extrinsecarum*, cùm mors *extrinsecus* infertur. Contra has aderat *summa sapientia*, ut posset cavere omnia noxia: aderat *dominium in animalia*, ut nullum posset lædere: aderat *divina providentia*, hominem conservans & protegens; quoniam *DEI providentiâ protegebatur hominis innocentia, ut nihil ei in innocentiâ permanenti accideret*; vel à *ferro*, vel *igne* Quandoquidem DEI ordinatio erat, *ut malum pœnæ non esset in Naturâ rationali; sine malo culpæ*, ùt docet *Estius ad Dist. 19. §. 4.* Aderat quoque Protoplastis *Potentia passiva* tantùm *perfectiva*, non autem *corruptiva*, ùt docet *Thomas* Part. 1. q. 97. art. 2. aderat *Angelica custodia*, ut nihil posset nocere. *Homo ita ꝯ*, concludit tandem, *ab intrinseco erat mortalis, ratione tamen extrinsecorum adjumentorum, divinæ protectionis, prudentia à DEO concessæ, fuisset immortalis, si voluisset* Ita *Bonfrerius*. Cujus sententia plana est: *Ab intrinseco* primos homines fuisse *mortales: immortalitatem* autem habuisse à *principiis* & *adjumentis extrinsecis*, imprimis ab *ARBORE VITÆ*. Similia leguntur quoque apud *Abulensem* Comment. in cap. 13. Genes. quæst. 171. & quæst. 172.

VI. Similiter de hac re multis ex *Augustino* agit Magister sententiarum, *Lombardus, Lib. 2. sentent. Dist. 19* ubi dicit: *Primus homo secundùm Naturam corporis terreni & immortalis fuit quodammodo, secundùm aliquid, quia potuit non mori, & mortalis quodammodo, quia potuit mori. In illo namꝯ primo statu habuit* posse mori & non posse mori. *Et hæc fuit prima humani corporis immortalitas, scilicet: posse non mori. In secundo verò statu post peccatum habuit, posse mori, & non posse mori, quia in hoc statu moriendi est necessitas. In tertio statu habebit posse non mori & non posse mori, quia ad illum statũ pertinet moriendi impossibilitas, quod ex gratiâ erit, non ex naturâ.* Ita *Lombardus*! Pergit verò & porrò dicit: *In primo statu fuit corpus hominis* animale *i.e. egens alimoniis ciborũ. Unde & homo*

factus

factus dicitur in animam viventem, *non* spiritualem, *id est, in animam corpus sensificantem, quod adhuc erat animale, non spirituale quod egebat cibis, ut per animam viveret. Factus est ergò in* animam viventem. *i. e. vitam corpori dantem, tamen per sustentamenta ciborum, & tunc erat corpus mortale & immortale, quia* poterat mori, & poterat non mori! Deinde disputat: *Utrum immortalitas, quam habuit ante peccatum, fuerit de conditione Naturæ, an ex gratiæ beneficio?* Ad quod, inquit, dici potest: *Quia alterum habebat in Naturâ corporis, i. e. posse mori. Alterum verò seu posse non mori, erat ei ex ligno vitæ, seu ex dono gratiæ. Unde Augustinus super Genesin: Quodammodo creatus est homo immortalis, quod erat ei de ligno vitæ, non de conditione naturæ. Mortalis erat de conditione corporis animalis: immortalis beneficio conditoris. Non enim immortale erat, quòd omnino mori non posset. Apertè dicit, quòd non naturâ: sed ex ligno vitæ habebat posse non mori.* Quæ sententia eadem est cum sententiâ *Bonfrerii*. Mox vero addit, *quæst.* sequenti: *An posset non mori, si non foret præceptum, ut de illo ligno comederet; & aliis, non illo uteretur?* Quod dicit *quosdam affirmare*: sic determinantes illud, quod supra dixit *Augustinus*: *Erat ei de ligno vitæ, non de conditione naturæ tantùm*, seu quasi non ex conditione naturæ solummodò erat ei, sed etiam ex illo ligno. *Quosdam* verò hoc negare, & dicere, quòd ex ligno vitæ erat ei posse non mori, non ex naturâ. Et adductis quibusdam verbis *Augustini* colligit, & dicit consequi videri: *Quod sicut homo in Naturâ suâ habuerit mortalitatem quandam, seu aptitudinem moriendi, ita aliquam immortalitatem quandam, seu aptitudinem, quâ poterat non mori in naturâ suâ habuisse, i. e. aptitudinem, quâ poterat non mori licibis adjutus. Sed si perstitisset, immortalitatis perfectio esset ei de ligno vitæ. Sed qui hoc tradunt,* addit; *quomodo superiora verba Augustini, quibus dicitur, quod erat immortalis ex ligno vitæ, huic sententiæ non contradicant, diligenter inquirant.* Ex quibus fluctuans sententia *Magistri* patet.

VII. *Bonaventura* ad illa verba: *Tunc erat corpus mortale & immortale; quia poterat mori, & poterat non mori:* annotat: *Dupliciter dici immortale: Uno modo*, prout privat *actum & aptitudinem moriendi:* & sic dicitur *immortale: quod non est potens mori*, & directè opponitur ei, quod est mortale. *Alio modo*, prout *privat actum solum.* Et tunc dicitur *immortale*, i.e. *potens nõ mori*, ac *ita mortale*,

inquit, *& immortale non habent oppositionem.* Juxtà quam distinctionem primi homines immortales fuerunt, non *priori*, sed *posteriori* modo. Illorum enim *immortalitas fuit: Posse non mori.* Ad *Quæstionem* autem: *An homo fuerit immortalis, seu immortalitatem habuerit à Naturâ, an à gratiâ?* dicit utramque opinionem habere *aliquid veritatis*, licèt una plus habeat, quàm altera. *Immortalis enim*, dicit, *quantum ad statum innocentiæ dici poterat homo per naturam, immortalis etiam per gratiam: quia à naturâ habebat aptitudinem, sed à gratiâ habebat completionem.* Quod dicit sic patere: *Tripliciter potest mors homini contingere: aut per elementorum pugnam & dissolutionem, aut per humidi consumtionem:* aut *per extrinsecam læsionem. Immortalitas ergò dicit privationẽ hujus triplicis modi moriendi, quantum ad actum & potentiam in beatis, qui dicuntur immortales, quia non possunt mori: quantum ad actum verò solam in hominibus institutis, qui dicuntur immortales, quia poterant non mori hoc triplici genere moriendi. Habebant enim aptitudinem evadendi hoc triplex genus mortis per id, quod habebant à Naturâ. Nam corpus valdè bene erat complexionatum, & anima de se incorruptibilis erat, quæ illud corpus regebat & conservabat*; & quidem *ex dono gratiæ, seu justitiâ Originali*, ùt addit. *Secundò* oppositum erat *lignum vitæ. Tertiò* Adæ sapientia *&* DEI providentia. Eadem enim habet hic *Bonaventura*, quæ suprà *Bonfrerius*. Ex quibus concludit: *Quòd immortalitas, quæ fuit in statu innocentiæ, quantum ad aptitudinem, fuerit à Naturâ, quantum ad complementum, à gratiâ.* Concedit quoque responsione ad *Primum*: *Si extendatur hoc nomen*, naturale, *posse omne id ita appellari, quòd insit homini à principio suæ nativitatis.* Sed *Martinus Becanus*, Tom. I. operum p. 137. cap. 4. quæst. 1. *Secundam Conclusionem* simpliciter hanc ponit: *Immortalitas illa in statu innocentiæ non erat naturalis, sed supernaturalis. Ita Scholastici*, inquit, *in 2. d. 19. D. Augustinus lib. 6 de Genesi ad literam cap. 25. his verbis. Mortalis erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Conditoris. Probatur* primò, *quia naturalia manserunt integra post peccatum: at immortalis non mansit.* Secundò, *Corpus Adæ erat mixtum ex quatuor contrariis elemẽtis; ergò naturâ suâ erat corruptibile.* Tertiò, *quia indigebat cibo & potu: ergò eo abstracto, natura suâ defecisset.*

VIII. Ex-

VIII. Ex hiſce poteſt intelligi, quòd *Pontificiorum* & *Scholaſticorum* ſententia hæc ſit; quamvis mitiùs ſentire videantur *Magiſter & Bonaventura. I. Immortalitatem* illam in ſtatu innocentiæ, non fuiſſe *naturalem*, ſed *ſupernaturalem*. II. Immortalitatem illam non profluxiſſe à *principio* quodam *intrinſeco*, ſed *extrinſeco*. Quãvis *Bonaventura* dicat, *hominem à naturâ habuiſſe aptitudinem ad eam*. III. Inprimis eam pependiſſe ab *ARBORE VITÆ*, tanquam à medio divinitùs ad hunc finem ordinato. IV. Immortalitatem hanc complexam fuiſſe in ſe tantùm *privationem actûs moriendi*: non autem *privationem potentiæ moriendi*; Siquidem ejus immortalitas fuerit: *Poſſe non mori*. Et propterea à aliam *Immortalitatem* hominem habuiſſe in ſtatu *innocentiæ: aliam* autem habiturum eſſe in *in vitâ æternâ*, & *in ſtatu gloriæ*. De quibus nunc ſententiam noſtram aperiemus.

IX. Monemus autem I. ex B. noſtro *Gerhardo* & aliis, & quidem *Diſp. XXII. Iſagog. cap. 9. theſ. 4. NATURALE* aliquid dici variis modis. *1. Conſtitutivè*. Sic naturalia alicui ſunt principia eſſentialia, uti homini ſunt anima & corpus. *2. Conſecutivè*, pro eo, quod naturam ſpecificam neceſſariò conſequitur, ita ut ex rei eſſentiâ ſeu formâ eſſentialiter fluat. Sicut ita homini naturalis eſt riſibilitas. *3, Subjectivè*, pro eo, quod Naturæ arctisſimè eſt infixum. *4. Perfectivè*, pro eo, quod naturam promovet, & perfectiorem reddit. *5. Tranſitivè*, pro eo, quod cum Natura ſimul in alios propagatur. Quamvis itaque *JUSTITIA ORIGINALIS*, ſeu *IMAGO DEI*, cujus pars eſt *IMMORTALITAS*, non fuerit primis hominibus *naturalis primo & ſecundo modo*: Sicuti nobis falsò tribuit *Bellarminus Lib. unico* de gratiâ Primi Hominis, *cap. 1.* Nos dicere ſcribens, *aliquid Naturale, quale inprimis ſit liberum arbitrium*; *Naturæ hominis nunc deeſſe*. Et *cap. 5. Nos prioribus duobus modis hiſce, rectitudinem illam; in quâ creatus fuerit Adam, fuiſſe illi naturalem*, affirmare: fuit tamen *tertio quarto* & *quinto* ſenſu, videlicet ob naturalem *inhæſionem, perfectionem & propagationem*, eidem naturalis; uti *B. Vir cit. loco* loquitur. Hinc etiam *theſi 5.* dicit. *Caterùm, cum pars imaginis divinæ, in primo homine fuerit IMMORTALITAS, & verò Imago DEI in ipſo fuerit non ſupernaturale aliquod donum, ſed naturalis & intrinſeca ipſius proprietas, ex*

eo rectè colligitur, etiam IMMORTALITATEM fuisse in ipso non supernaturale aliquod donum, sed proprietatem naturalem. Pariter ex Calvinianis *Rivetus: Exercit. 19. in Genesin* multis disputat, *Immortalitatem Naturæ, fuisse originalem, & Protoplastis Naturalem* qui videatur. Ex hisce igitur patet, quid statuendum sit? Videlicet; *IMMORTALITAS* hæc fuit primis hominibus *naturalis*, non *constitutivè*, nec *consecutivè*; & qui hac ratione negat *Immortalitatem à Naturâ fuisse*, juxta Gerhardum non errat: sed fuit *naturalis Subjectivè, Perfectivè & Transitivè*; & *naturalis* etiam à nobis dicitur, ob naturalem *inhæsionem, perfectionem & propagationem*. Cui sententiæ ex *Pontificiis* non parum favisse quoque videtur *Estius*, citatâ *Dist. 19. §. 9.* dicens: *Erat illi quâdam ratione naturalis, quâdam ratione supra Naturam.* Et concedit, *Naturalem* fuisse; si *Naturale* sumatur *1. Pro eo, quod insit à prima institutione Naturæ.* Sicut *Cyrill. lib. 3. contra Julianum*, dixerit: *Id esse singulis rebus naturam, quod Deus instituerit. 2* Pro eo, *in quod naturaliter feratur appetitus. 3.* Pro eo, *quod cuique insit à nativitate. 4.* Pro eo, *quod in ipsâ Naturâ causam quodammodo, sive partialem habeat.* Sicut *in optima humana corporis temperie* tanquam *interna* causâ & in *ligno vitæ* tanquam *externa causâ*, Immortalitas hominis constiterit. Negat autem *Naturalem* fuisse, si vox sumatur pro eo, *quod est Debitum Naturæ*, ratione suæ essentiæ. Et §. 10. dicit, *ad objecta, etsi pleraque non parvam difficultatem habentia se probabiliter respondere.* Ut credamus, eum aliter sensurum fuisse, nisi obstitisset *Sedes Apostolica*, quæ hanc Propositionem: *Immortalitas primi hominis non fuit gratiæ beneficium, sed naturalis conditio:* damnavit. Hinc etiã *Jacobus Heerbrandus* in Compendio Theologiæ, *pag. 178* concedit: *Imaginem DEI in Angelis & hominibus fuisse Accidentalem.* Et *Pag. 187.* inquit: *Justitia igitur Originalis, nec anima nec corpus est, aut fuit unquam, sed fuit perfectio, integritas & proprietas, vel potentia naturalis, totius hominis, sive naturæ vel essentiæ humanæ, omnium, ejus virium. Quæ tamen conditionalis fuit & amitti potuit. Sicut, prob dolor! amissa est lapsu primorum parentum. Et sic fuit Accidens. Non autem tale Philosophicum, quòd citra corruptionem subjecto adesse* (& abesse) *potest.* (Intelligit sine dubio tale, quod nihil perfectionis aut corruptionis subjecto afferre putat) *Hinc enim ingens*

secuta

secutA est ruinâ, peccatum nempe Originis, quod corruptio est omnium virium hominis, superiorum & inferiorum?

X. Quando igitur Pontificii disputant: *Imaginem DEI* ac *Justitiam Originalem* adeoque etiam *IMMORTALITATEM*, fuisse in primo homine *donum* aliquod *supernaturale* & *extrinsecum*: superadditum, ùt frenum: Quando item disputant, ut ex *secundâ* Conclusione *Becani* audivimus: *Naturalia post lapsum mansisse integra*; Quod rectè πρῶτον ψεῦδος appellitat *Rivetus*, Exerc. 19. in Genesin: constanter ipsis à nostratibus contradicitur, uti ex *B. Chemnitii Examine Concilii Tridentini. Part. 1. p. 89.* & *Gerhardo cit. l.* §. *1. 2. 3. & 4.* potest videri. Nam 1. non intelligunt sola *Naturalia Physica*, quæ utique remanserunt. *Nec enim desiit esse homo: Sed manet ipse homo, qui ab initio est creatus, quoad substantiam, retinens idem corpus, eandemq; animam, quæ ab initio sunt creata*, Ut iterum *Heerbrandus, pag. 186. & pag. 190.* loquitur. Sed ùt idem *pag. 182.* admonet: *Non tantùm de substantia hominis, verùm etiam de Qualitatibus, Proprietatibus, & viribus humanæ Naturæ intelligunt.* Et inde horribiles postea errores deducunt, de *merito congrui & condigni*; de *Puris naturalibus*, de *aureo freno*, de *concupiscentiâ, quòd non sit peccatum*. Et quæ sunt alia. Quam ob causam cit. l. *Rivetus* scribit: *Talem creaturã rationalem*, quæ à DEO in principio creata sit, *justitiæ originalis & potentiæ non moriendi* expers: *Chimæram esse constare, quia nulla talis à DEO condita sit, nec talis possit esse sine peccato, quòd à DEO esse nequeat.* Ubi *Posterius* rectè accipiendũ erit, quando dicit, *Talis non possit esse sine peccato.* Nempe *Talis*, qualem volunt Pontificii, cui rebellio ista Appetitûs contra rationem naturalis sit, & insit tanquã conditio Naturæ. Vel, ut *Bellarminus* loquitur, *Lib. unico* de Gratiâ primi hominis: Insit ùt languor, & vitium naturæ, ex conditione materiæ consequens; sit rebellio illa carnis ad Spiritum, Ibidem: capite 5. Videatur Gerhardus Tom. II. Loc. de Imagine DEI §. 36. & seqq. Vel ùt *Pighius* loquitur, apud *Chemnitium*. Part. 1. *Examinis, p. 188.* Insint, *ne naturæ conditiones in Nobis*. Qui *B. Chemnitius* præ cæteris videndus! Qualis sanè non potest esse sine peccato. Nec enim pronitas illa ad malum, vitium Appetitûs, & morbida qualitas, conditio est Naturæ, aut Materiæ, quam hodienum creat DEUS. Ac eadem hæc,

quæ Pontificii negant esse vitia; nos esse, ex verbo DEI firmissimè demonstramus. Et quamvis *Concilium Tridentinum Sess.5.* concupiscentiam verè & propriè in renatis *peccatum* esse neget: confitetur tamen, eam *ex peccato* esse, & *ad peccatum* inclinare. Si autem rebellio ista esset *conditio Naturæ*, vel *essentialis puris naturalibus*, sequeretur 1. Non omnia fuisse valde bona; quoniam primus homo adhuc integer morbidus fuisset; & ista morbida qualitas ipsi ratione purorum Naturalium intrinseca fuisset; 2. Rebellio illa concupiscentiæ, sive Appetitus fuisset res bona, quoniam profluxisset ex Conditione Naturæ, 3. Si hæc rebellio proveniret & flueret è *materiâ*, & ejus conditione: tunc per *Materiam* intelligendum esset, aut *corpus*; quod tamen non appetit: aut anima, quam DEUS Adamo inspiravit, & ita DEUS constitueretur Auctor hujus concupiscentiæ, quam Paulus *Romanorum VII.* multoties vocat *Peccatum: Concilium* autem *Tridentinum* verè & propriè peccatum esse negat. Quæ tam manifesta sunt, ut Aliquis, illorum evidentiâ ad absurdum coactus, scripserit: *Si DEO placuisset, hominem in statu merorum naturalium relinquere, tum futurum fuisse, ut Legem de non concupiscendo non tulisset.* Uti antehac ostendimus ad *Artic. I. Formulæ Concordiæ. II. Imago DEI* & consequenter *IMMORTALITAS* non quidem fuit *à Natura*, quia nec *constitutivè*, nec *consecutive* ab eâ pependit: Fuit tamen *in Naturâ*, adeoque primis hominibus *naturalis*, modo *præcedenti thesi* exposito. Subordinata enim esse possunt, *à DEO esse*, & nihilominus *homini naturale esse*. Sicut aliàs concedimus in primis hominibus *supernaturalia quædam dona fuisse*; supernaturalem DEI gratiam & favorem, supernaturalem beatitudinis & vitæ splendorem. Unde huc pertinent etiam, quæ suprà *Bonaventura* de naturali aptitudine disputavit. III. In ejusmodi quæstionibus, *Homo* non consideratur tantùm *ùt* est *homo*; habens sua constitutiva principia, corpus, & animam: sed consideratur, ùt est *homo rectus, primus*, & in *statu innocentiæ constitutus*, in quo nec mors, nec appetitûs rebellio aut quicquam mali habuit locum.

DISPU-

16.

DISPUTATIO THEOLOGICA
De
ARBORE VITÆ
TERTIA
RESPONDENTE
ABRAHAMO Leube / Altenburg. Misnic.
THESIS PRIMA.

DIximus sub finem *Disputationis Præcedentis:* In ejusmodi quæstionibus, nempe An *IMAGO DEI* & *IMMORTALITAS, fuerit primo Homini naturalis?* aliisque similibus *Hominem* non considerari tantùm ùt sit *Homo*; habens sua constitutiva Principia, corpus & animam: sed considerari, ùt sit *Homo rectus, primus*, & in *statu Innocentiæ constitutus*; in quo nec mors, nec appetitûs rebellio, aut quicquam mali habuerit locum: adeoque considerari & sumi simul cum omnibus, quæ ipsi fuerint *concreata* Hinc B. noster *Gerhardus, Lib. II. Confess. Cathol. Part. III. art 20. cap. 2. n. 8.* notanter scribit: *Quando Justitiam Originalem* (& ita etiam *IMMORTALITATEM*) *Homini INTEGRO naturalem fuisse dicimus, hoc sentimus, quod Justitia illa non NATVRAM ipsam, quæ nunc omnibus communis est, sed NATURAM INTEGRAM constituerit, ei tanquam Subjecto ordinario inhærens, eamque perficiens.* Et *in sequentibus*, ùt & *Cap. III.* semper *Subjectum Quæstionis* ponit, non *HOMINEM*; sed *HOMINEM INTEGRUM.* Inter alia *Pag. 357.* dicens: *Omnes HOMINIS actiones oriuntur à Naturâ, non qua NATURA, sed quatenus in CERTO STATU posita est.* Atque hinc rectissimè colligit, Justitiam Originalem & immortalitatem *ex creatione inhæsisse*; fuisse Φυσικὴν corporis *qualitatem*; Sicut CHRISTO quoad humanam Naturam Justitia & Sanctitas fuerit naturalis; & propterea, amissâ Justitia Originali *NATURALIA in Homine non mansisse integra.* Et *pag. 351.* argumentatur: *In quocunq; omnis ACCIDENTALIS*

huma-

humanæ Naturæ perfectio consistit, illud est Homini naturale, Genes. 1. *v.* 31. *Atqui in Imagine DEI omnis ACCIDENTALIS Humanæ Naturæ perfectio consistit, Ergò.* Ex quibus clarè patet, quòd in hac *QUÆSTIONE, Subjectum* non sit *HOMO*, quoad suas partes *essentiales*, & *constitutivas* tantùm consideratus, sed *HOMO INTEGER*; sive *HOMO in statu Innocentiæ*; & quoad *ESSE* suum *Substantiale & Accidentale* consideratus. Quâ ratione ipsemet *Bellarminus de Grat. primi Hominis cap.* 8. & *Pererius lib.* 5. *in Genes. Disp. de quartâ Excell. q.* 1. *p.* 587. concedunt, quòd *Homini Integro* nec *interna*, nec *externa Principia mortem afferre potuerint.* Hinc etiam *B. Chemnitius Loc. de Creatione pag.* 349. dicit: *Nunquam igitur Homo in statu purè naturali exstitit.* Circa quæ verba felicissimus *B. Chemnitii* Interpres & Sectator *plurimùm Reverendus Dn. D. Johannes Benedictus Carpzov. Amicus & frater noster in CHRISTO dilectus, Part. I. Systematis Theologici, p.* 279 rectissimè scribit. *Abstrahimus integritatem ab homine ante lapsum, & consideramus eum in suâ Naturâ & essentiâ, ac deinde in suâ Integritate, sed non separamus eam ab homine, cùm concreata illa fuerit & naturalis homini, & nunquam extiterit homo absq; eâ ante peccatum, seu lapsum. Ut status purè naturalium figmentum sit, & à puriore antiquitate etiam ingeneratus, quòd tribus integris libris ostendit Cornel. Jansenius, Episcopus Iprensis in Augustino Tom* 2 *fol.* 681. *seqq Et propter concreationem Integritatis hujus* inquit *§.* 5. *& exclusionem purè naturalem*, Integer Status *dicitur* Naturalis. *Utut enim per naturam & essentiam suam, & ex se, atq; à se homo istam integritatem non habuerit, tamen ex creatione per modum inhærentiæ naturalis data, concreata, ac statim cum Naturâ homini collata fuit, & etiã cum Naturâ propagari debuit, adeò ut quamvis homini, ut homo is est, per modum Accidentis separabilis, quo per lapsum privari posset, competeret: tamen eidem, ut in CONCRETO considerabatur, & ut integer erat, per se competierit. Hoc ex revelatione divinâ unicè patet, quæ de Homine non ùt merè physico supposito loquitur & docet, sed semper in & cum statu suo eum considerat, ac Naturale vocat, quod concreatum & congenitum est homini, ita ut per universam speciem istud propagetur.* Ac §. 6. concludit: *ita ergò Homo in hoc articulo* (nempe de Imagine DEI) *consideratur, non ratione essentiæ suæ, & in essentialiter constitutivis principiis ac consequen-*

sequentibus attributis, ut sunt, anima, corpus, facultates & affectiones; sedrationes statûs & *in* concreto, *ùt integer status creatus*, & Naturale *dicitur, non quod essentiam Hominis, ut Homo est, per se comitatur, sed quod concreatum illi est, & eum, ut talis, vel talis est, hoc est, integrum constituit.* Ex quibus satis patet, *Quid propriè hic in quæstione sit?* Nempe *An primo Homini integro, & ùt in Statu Innocentiæ considerato; IMMORTALITAS fuerit NATURALIS?* Quod affirmamus. Et *Quæstionem* hanc meritò ita instituimus; quoniam in *Statu merorum Naturalium* Homo nec exstitit unquam, nec creatus in eo, sed in integritate conditus fuit. Qualis ergò in initio à DEO fuit conditus, talis etiam hic consideratur; talis etiam in Quæstione loco Subjecti ponitur. Benè *Suarez Disp. Methaphysica VII. sect. 1. n. 17. In rebus creatis*, inquit, *præter entitates earum quasi substantiales vel radicales, inveniuntur quidam modi reales, qui & sunt aliquid positivum, & afficiunt ipsas entitates per seipsos, dando illis aliquid, quod est extra essentiam totam, ùt individuam & existentẽ in rerum naturâ.* Quamvis igitur *IMMORTALITAS*, ac tota *IMAGO DEI* non pertinuerit ad *entitatem Hominis substantialem*, sive ad *ESSE Absolutum & substantiale*: pertinuit tamen ad *ESSE respectivum, modificatum, Accidentale*, & consideratum ratione *certi alicujus statûs.* Et perinde est, ac si quærerem: *An statui Integritatis seu innocentiæ IMMORTALITAS fuerit essentialis seu Naturalis?* Quod nemo, nisi qui delirus sit, aut fungum pro cerebro habeat, negaverit. Implicat enim contradictionem: *Statum Integritatis esse*, nec tamen in se quasi partem essentialem, constituentem, & naturalem complecti *IMMORTALITATEM.* Atque hoc ipsum est, quod contra *Statum merorum Naturalium* urgemus, eumque inter figmenta referimus; cùm nunquam ipse extiterit, nec homo unquam in eo creatus fuerit; nec creari potuerit: cum talis non possit esse sine peccato; nempe qualem Pontificii volunt; ùt ostendimus *Disp. præced. thes. 10.* Sed creatus fuit in Statu integritatis & innocentiæ, & propterea quicquid ad illum Statum pertinet, id primo homini naturale; non supernaturale & adventitium fuit.

II. Relinquitur ergò, quod *IMMORTALITAS* primorum parentum, non fuerit *supernaturalis*, aut *donum* aliquod *supernatu-*

turale, ſed *naturalis*: non quidem *à naturâ*, ſed *in naturâ*: nec *conſtitutivè*, aut *conſecutivè* ab eâ dependens: ſed *Subjectivè, Perfectivè* & *Tranſitivè* in eâ exiſtens; & propterea, uti *Heerbrandus cit*: *loco* loquitur; *homini connaturalis*. Et *ùt aliadotes, bonitas, veritas, ſanctitas, & juſtitia; in Paradiſo, Natura concreata*, uti in *Declarat. artic.* I. *pag. 644.* loquitur *Formula Concordiæ*: Ita & hæc fuerit concreata. De quibus plura ſi quis deſideraverit, adeat noſtros Theologos! Pleraque enim tantùm paucis tacta, ùt certa & alibi ſufficientiſſimè probata hîc præſupponimus.

III. Monemus II. Libenter hoc nos, tanquam veriſſimum admittere: *IMMORTALITATEM primi hominis*, non fuiſſe, ut ita loquamur: *Immediatam*, & *Abſolutam*; id eſt, ita comparatam, ut nullis mediis, aut nullâ conditione, opus habuerit; Sicuti talis erit Immortalitas Beatorum in vitâ cœleſti: Sed fuiſſe *Mediatam*, & *Conditionatam*; quæ ad ſui conſervationem opus habuerit *certis mediis*, & *certis conditionibus*. Qualia media fuerunt I. *Cibus* & *Potus*. Conceſſi enim erant ei *fructus omnium arborum Paradiſi*, *cap. II. v. 16.* ſine dubio meliores, priusquam DEUS terræ malediceret, *Cap. III. v. 17.* II. *Lignum*, ſeu *ARBOR VITÆ*, peculiariter à DEO, tanquam medium in hunc finem conditum. III. *Conditio*, ut etiam *uteretur hiſce mediis*. Si enim ùt recte *Pag. 117. Bonfrerius* loquitur: *imprudenter homo agere voluiſſet, nec uti remediis ſibi à DEO conceſſis, omninò lædi & mori potuiſſet.* IV. *Conditio obedientiæ*, ut abſtineret ab *ARBORE SCIENTIÆ BONI & MALI. Utraque* enim *mors*, tàm *corporis*, quàm *animæ* inde dependebat. Hinc ita ex noſtris *Geſnerus* ſcribit, in *Cap. II. Quæſt. XII. Etſi homo ante lapſum, morbis & morti obnoxius non erat, nihilominus tamen DEUS vitam, per corporalia media illi conſervare voluit. Ideoq; arborum fructus & herbas illi largitus eſt, quo nutrimento corpus aleret; arborem verò vitæ addidit, quâ collapſas vires ſubinde reſtauraret. Sicut ipſe DEUS, Geneſ. 3. aſſerit, ne comedat de arbore vitæ, & vivat in æternum.* Quin ipſe *Lutherus*, Comment. in Geneſ. *p. 21.* ſcribit: *Habuit Adam corpus naturale & mobile, quod generabat, edebat, labombat. Hæc corruptionem judicantur afferre, aut ſaltem mutationem aliquam, quâ tandem homo naturaliter eſſet corruptus. Sed huic naturali ordinationi DEus curavit remedium per arborem vitæ, ut homo ſine*

ullo

ullo viriam decremento, longam & sanam vitam viveret in perpetuâ juventâ. Quod nihil aliud est, quam IMMORTALITATEM primi hominis *mediatam* & *conditionatam*; seu suspensam fuisse à certis mediis. Unde etiam patet, quid statuamus de illâ *QUÆSTIONE: An corpus Hominis etiam in statu Innocentiæ fuerit mortale? corruptibile? solubile?* Nempe monet *Gerhardus* cit. Disp. Isag. 22. c. 9. thes. 11. *Non posse dici mortale*; si vocabulum sumatur *κυρίως* & *propriè*, pro eo, quod ad mortem secuturam certo propendet, & ad corruptionem naturaliter per successivam partium absumtionem inclinatur: *Posse autem*, si sumatur *ἀκύρως* & *abusivè* pro qualicunque *δυνάμει* & potentiâ moriendi, etiam remotissimâ, & tali, quæ stante Naturâ, & per Naturam nunquam in actum traducitur. *Item*: Postquam dixisset: *Immortalitatem sumi* I. pro *Impotentiâ moriendi absolutâ & omnimodâ*; quæ *κυρίως* soli competat DEO. II. Pro *Impotentia moriendi ex gratiâ creationis, & propter essentialem à materiâ segregationem*; quæ competat Angelis & animabus. III. *Pro impotentiâ moriendi ex dono & singulari ordinatione DEI*, quæ competat partim beatis, partim damnatis. Et quidem, ut hoc addamus: *Beatis ex gratiâ*; *Damnatis* ex *justitiâ*. IV. Pro *potentiâ non moriendi*: Quo sensu illud *immortale* sit, *quod actu non moriatur; mori tamen possit, certa conditione positâ*. Subjungit deinceps hisce: *Atque hoc modo corpus primi hominis fuit immortale. Non enim aderat impotentia moriendi, sed tamen potentia non moriendi, quæ per lapsum in necessitatem moriendi est conversa*. Et *ibid.* n. 7. dicit: *Erat Hominis corpus animale, mixtum ac resolubile, interim quia exactissimè temperatum, quia animæ immortalis habitaculum; idcò totus homo, Naturâ Immortalis rectè pronuntiatur*. Fuit ergò *mortale, corruptibile, resolubile*. I. Quoad *potentiam DEI absolutam*. II. Quoad *potentiam moriendi*, pendentem à libero Hominis arbitrio. III. Quoad *talem potentiam*, quæ per Naturam nunquam traducta fuisset in actum. Non autem fuit, quoad 1. *Potentiam DEI ordinatam. Bonitas* enim *Temperamenti* concreata & *Arbor vitæ* conservassent Hominem Immortalem, Nec 2. Quoad *potentiam non moriendi*, in quâ erat conditus. Nec 3. Quoad *potentiam Naturalem*, quæ traducta fuisset in actum. Vide *Gerhardum*. Et si placet *Abulensem*, in cap. 13. Genes. q. 169. Ac ita Immor-

talis fuit, quia habuit Possibilitatem non peccandi, &; non moriendi; quæ, si ipse stetisset, in peccandi & moriendi impossibilitatem conversa fuisset.

IV. Quæ igitur præterea *Diss. praced. Thes. VIII.* adducta sunt ex iis *Tertium*, *Quartum*, & *Quintum*, facilè possumus admittere. *Quod nempe inprimis hæc immortalitas dependerit ab ARBORE VITÆ*: Quòd *continuerit tantùm privationem actûs moriendi, non autem potentiæ*: Et: *Quòd alia fuerit Immortalitas in statu Innocentiæ: alia autem futura sit in vitâ æternâ.* Habuit enim homo liberum arbitrium, & ante se vitam & mortem, ac ita immortalitatem potuit amittere, *Genes. II. v. 17. Sir. XV. v. 18.* Unde immortalitas ejus fuit: *Posse non mori.* Sed de *Secundo* adhuc est dubium. *An Immortalitas illa profluxerit* tantùm *à principio extrinseco, non intrinseco?* Concessum jam tum est, quòd non fuerit à naturâ, vel constitutivè vel consecutivè consideratâ: sed in Naturâ. Non enim pertinuit ad essentiam hominis physicè considerati. Interea tamen non potest negari: aliquid fuisse in homine, quod rectè hujus *IMMORTALITAS* causa *Interna* dici possit: Nempe concreata illa & connaturalis harmonia elementorum, perpetua futura per esum *fructûs* ex *ARBORE VITÆ.* Sicut etiam *Rivetus* dicit, *Exercit: XIX. in Genesin. Nemo negat, habuisse corpus in se principia resolutionis: seu si de toto homine agitur, nihil obstat, quin dicamus, ab ipsis Naturæ principiis Immortalitatem profluxisse. Idque propter influxum animæ, perpetuam humorum & Spirituum ἀεροίαν conservaturum.* Quâ ratione dici posset, quòd etiam *Consecutivè* aliquo modo Immortalitas Homini fuisset naturalis. Nam corpus illorum *valdè bene erat complexionatum*; ùt *Diss. præced. Thes. VII.* loquebatur *Bonaventura*: naturalem aptitudinem ad immortalitatem inde probans. Quin igitur, quantum ad hoc attinet, isthæc, intrinseca causa immortalitatis, aut saltem aptitudinis ad eam dici possit cum *Bonaventurâ*, nulli ambigimus. Breviter dicentes: Habituale illud Immortalitatis donum; erat primo homini *intrinsecum*; *inhæsivum*, *connaturale*, & *concreatum.* Quoad *intrinsecas causas* autem vitæ & mortis, dependebat, tanquam à causâ proximâ à concreatâ & connaturali illâ Elementorum harmoniâ perpetuò conservanda, seu ab æquabi-

lissimo

lissimo temperamento, ab humidi & calidi nativo & concreato vigore. Est enim vita animalis in *Harmoniâ calidi Naturalis, & Humidi Radicalis*, ùt *Abulensis* q. 10. in cap. II. Geneseos loquitur, & ita à *causâ intrinsecâ*. Hæc autem dependebat à mediis divinitus ordinatis, nempe à cibo & potu & ab *ARBORE VITÆ* ejusque *fructu*, cujus esus conservasset hanc harmoniam in perpetuum. Videlicet à *cibo & potu* pendebat, tanquam mediis conservantibus *vitam*: Ab *Arbore Vitæ*, verò tanquam à medio conservante & *vitam*, & *vitæ perpetuitatem*. Quare quoad media hæc *Immortalitas* proveniebat ab extrinseco: Sed quoad inexsistentiam, & causam proximam, erat *intrinseca, connaturalis & concreata*; perpetuò in homine mansura, nisi peccasset. Hinc rectè scribit *Estius, Annot. adverss 22. Cap. III. Immortalitatem* primi hominis dependisse ex *duobus*, ex *internâ bonâ qualitate corporis*, quam homo perdiderit peccando; & ex *ligno vitæ*, tanquam *cibo externo*: sicut nunc homo ad tempus vivat ex *duobus*, nempe *bonâ temperaturâ corporis*, & ex *cibo*. Quæ sunt verissima. Unde etiam B. noster *Gerhardus, Disput. Isag. 22. Cap. 9. thes. 7.* dicit: *Cibi & potus usus non arguunt, primum hominem fuisse* mortalem, *quia fructus Arboris vitæ in æquali bonitate illud restaurasset quòd à calore nativo absumtum, quin & in humido primigenio, sive radicali* concreatam puritatem *conservasset, & calorem nativum corroborasset*. Item *Thes. 9. Hominem ante lapsum à passione dolorosâ & molestâ, quæ tandem mortem per causas internas vel externas adducere potuisset, penitus fuisse liberum*. Item *Thes. 10.* expressè dicit: *Corpus primi hominis per se, &* interiùs *esse immortale: Quod exactissimâ primarum & secundarum qualitatum harmoniâ constiterit, a eoque æquabili & exactâ medietate temperamenti præditum fuerit*. Urget quoque pro eâdem assertione: *Quòd corpus primi hominis ante lapsum essentialiter, & indissolubili vinculo animæ ad immortalitatem conditæ fuerit unitum*. Et *Thes. 11. Quia etiam corpus ad immortalitatem & in immortalitate à DEO fuerit conditum; quoniam* æquabilissimo & ordinatissimo temperamento *fuerit præditum*. Ex quibus patet, quòd omninò illa *Immortalitas* habuerit etiam *Principia Intrinseca, connaturalia & concreata: Internam* nempe *bonam qualitatem corporis, temperamentum æquabilissimum, dispositionem viscerum exactam, & unionem animæ immortalis cum*

immortali corpore, à cauſis naturalibus actu indiſſolubilem: & alia, quæ *naturales & intrinſecæ* cauſæ *VITÆ*, dici poſſunt. Quæ omnia per *ARBOREMVITÆ*, tanquam medium externum & continuata & conſervata fuiſſent. Quod igitur *Auguſtinus* dixit: *Primum hominem immortalem fuiſſe, non ex conditione Naturæ, ſed ex beneficio conditoris*: Id rectè intelligendum eſt: Nempe non dependit hæc à conditione Naturæ, *conſtitutivè*, aut *conſecutivè* conſideratæ: ſed fuit in homine *ex beneficio conditoris*, qui hominem ἀπὸ προφάσεως condiderat; eidem tamen ratione inexſiſtentiæ & cauſalitatis, concreati temperamenti *intrinſeca, connaturalis & concreata*. Videatur *Georgius Magnus lib. 3. Moral. c. 26.*

V. QVÆRITUR circa *FORMAM* hujus *ARBORIS II. An* ergò *ARBOR VITÆ fuerit cauſa Immortalitatis in ſtatu innocentiæ?* Seu: *An tanta fuerit ejus vis, ut potuerit hominem infinito tempore conſervare*? Affirmamus cum *Auguſtino*, Lib. 14. De Civ. DEI cap. 26. dicente: *Cibus aderat, ne eſuriret, potus ne ſitiret, Lignum vitæ, ne illum ſenecta diſſolveret.* Et *ARBOREM VITÆ* eam vim habuiſſe, ut potuerit vitam hominis infinito tempore conſervare; *Toſtatus* quoque & alii contra *Scotum & Pererium* defendunt. Ac probatur ex illo *Geneſ. 3. v. 22*, quod ſuperiùs adduximus: *Ne forte mittat manum ſuam & ſumat de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum.* Vide *Becanum*, Quæſt. 11. pag. 137. Tom. I. Operum. Sic etiam *Affirmativam* amplexus eſt *Chryſoſtomus* Tom. I. Homil. XVIII. in Geneſin, p. 110. dicens: *De ligno autem vitæ nihil ſignanter præceperat. Quandoquidem ùt exiſtimo, & eſt verſimile, immortalem illum feciſſet. Potuiſſetque ipſe, ſi voluiſſet, cum aliis etiam de hoc veſci, quod perpetuam illi contuliſſet vitam, eò quòd nullum mandatum de illo acceperat.* Ubi verè dicit aureus Pater: *hanc Arborem immortalitatem & perpetuam vitam, homini collaturam fuiſſe.* Quod aliàs reſtringi ſolet ab aliis usque ad *terminum translationis.* Quòd autem dicit: *DEUM de Ligno vitæ nihil ſignanter præcepiſſe*: id aut intelligit de præcepto *negativo*, ut homo non ederet de eâ; & ita nullum interdictum legitur. Aut de præcepto *Affirmativo*, ut ex eâ ederet: & ita *ſpeciale* quidem præceptum itidem legimus nullum: *Generale* tamen habemus, *Cap. II. v. 16.* ubi dixit Dominus: *De omni ligno Paradiſi comedes.* Quia ergò dixerat *Omne*; & ſolam *Scien-*

tiæ

tia BONI & MALI *Arborem* exceperat: eo ipso *Arborem Vitæ* quoque conceſſerat.

VI. Sic etiam *Eſtius*, Annot. ad *v. 9.* urget verſiculum 22. Capitis III. Et inde colligit: *Quòd Immortalitas hominis de ligno vitæ exſtitiſſet.* Non autem de *ſolo*; uti præter ea, quæ ante adduximus, ipſe *Eſtius* docet ad *Diſt. 19. §. 6.* contra plerosque Veterum, nominatim *Irenæum*, *Hilarium*, *Chryſoſtomum* & *alios*; ùt & ex Scholaſticis contra *Durandum*: Hoc aſſerentes; diſputans: *Immortalitatem fuiſſe primo Homini ex internâ bonâ Qualitate, & ex ligno vitæ.* Et pro hac ſententiâ adducit locum Pauli *Rom. 8. v. 10.* ubi *corpus* dicatur *mortuum propter peccatum.* Per quod ſignificetur, in ipſo corpore nunc ineſſe corruptionis & mortis cauſam, quæ non inerat ante peccatum. Eamque probat ex *Concilio Arauſicana can. 1. & Tridentino, Seſſ. 9. can. 1.* in quibus definiatur, *totum hominem ſecundùm corpus & animam per peccatum in deterius fuiſſe mutatum*: Unde ſequatur, *in ipſo corpore talem qualitatem ad Immortalitatem antea fuiſſe*; Dicitque *Auguſtini* eſſe, *Lib. 1. de Pecc. mer. c. 16. Lib. 9. de Geneſ. ad lit. c. 10. & Lib. 11. c. 32.* & *Lib. 13. de C. D. c. 3. & 23. Leonis* Papæ item & *plerorumque* Doctorum Scholaſticorum. Id quod meritò notetur. Cadit enim ſic illa aſſertio: *Immortalitatem Hominis fuiſſe donum aliquòd ſuperadditum & Supernaturale.* Uti ſuprà vidimus. Jacobus *Bonfrerius* in *h. l.* dicit: *fuiſſe hanc arborem vitalem & vivificam, quæ hominis vitam in longiſſimum tempus prorogaret, & forte etiam perpetuandi vim habuerit, reparato ſemper humido radicali ſine ullâ adulteratione & impuritate, & confortato etiam calore naturali, qui alias repatiendo ab alimentis ſenſim debilitatur.* Uti Diſp. I. vidimus. Sic etiam *Mercerus in h. l.* dicit: *Hujus etiam fructuum arboris beneficio, aut immortalis erat futurus, aut quàm diutiſſimè victurus, non obrepentibus ſenectutis incommodis.* Et paulò poſt: *Ita in perpetuâ fuiſſet felicitate, donec corpore ſimul & animâ ad æternam illam, cum Dei conſortio felicitatam translatus eſſet.* Sic quoque *Theodoretus* dicit, *quod hæc ARBOR homini vires integras, & vegetas perpetuò præſtitiſſet.* Videantur quoque teſtimonia noſtratium Diſp. I. ſuprà *Theſ. IV.* adducta. Sic igitur, hanc *ARBOREM* cauſam Immortalitatis fuiſſe, certum eſt. Contuliſſet enim & ἀθανασίαν, & ἀγηρασίαν, i. e. & Immortalitatem, & perpetuam

tuam Juventam. *Quousque autem virtus illa se extenderit: An in omnem usque æternitatem & in infinitum tempus; an verò in longissimum tempus tantùm; & usque ad terminum translationis?* ex verbis *Gerhardi Disp. I. Thes. IV.* adductis liquet, & infrà circa vocem לְעֹלָם discutietur:

VII. *QVÆRITUR* III. *An vis illa causandi Immortalitatem in Homine ARBORI VITÆ fuerit naturalis, an vero supernaturalis?* Sunt, qui *supernaturalem* fuisse contendunt. Sic enim *Augustinus* Tom. III. Lib. XI. de Genesi ad literam, cap. 40. dicit: *felicem illum statum corporis substitisse, ex re visibili, virtute invisibili.* Haud aliter atque *Bonaventura ad 2. dist. 19.* dicit: *Hanc arborem non ex propria virtute potuisse corpus hominis facere incorruptibile, sed præbuisse corporibus Immortalitatem ratione divinæ virtutis assistentis.* Et sub finem quæstionis primæ dicit: *Quòd lignũ vitæ talem effectum haberet, speciale donum erat DEI. Sicut etiam, quod tanto tempore vestimenta & calceamenta populi Israël potuerũt sibi præbere obsequia.* Quod *Augustini* exemplum est *Lib. 1. de peccat. meritis cap. 3.* ubi inquit: *Neque enim metuendum fuit, ne forte diutiùs hic vivendo in corpore animali, senectute gravaretur, & paulatim veteràscendo perveniret ad mortem? Si enim DEUS Israelitarum vestimentis & calceamentis præstitit, Deut. 19. v. 5. quòd per tot annos non sunt obtrita, quid mirum, si obedienti homini ejusdem potentiâ præstaretur, ut animale ac mortale habens corpus, haberet in eo quẽdam statum, quo sine defectu esset annosum, tempore, quo DEUS vellet à mortalitate ad immortalitatem, sine mediâ morte venturus? Sicut enim hæc ipsa caro, quam nunc habemus, non ideò non est vulnerabilis, quia non necesse est, ut vulneretur: sic illa non ideò non fuit mortalis, quia non erat necesse, ut moreretur. Talem puto habitudinem adhuc in corpore animali atque mortali, etiam illis, qui sine morte hinc translati sunt, fuisse concessam.* Statuit enim *Enoch* & *Eliam* nondum versari in gloriâ, sed restitutos esse in statum innocentiæ, & vivere in Paradiso. Ex quibus itidem patet, quod *Augustinus* vim hanc tribuerit *divinæ potentiæ*, arbori huic *assistenti*; adeoque eidem non *naturalem*, sed *supernaturalem* fuisse. Et *Tom. III. Lib. 8. de Genesi ad literam cap. 5.* dicit: *Illud quoque addo, quanquam corporalem cibum, talem tamen illam arborem præstitisse, quo corpus hominis sanitate stabili firmare-*

tur

tur, non ſicut ex alio cibo (alii legunt: *aliquo:*) *ſed nonnullâ inſpiratione ſalubritatis occultâ.* Et mox addit: *DEUM per hujus arboris cibum altioris ſignificationis gratiâ homini præſtitiſſe.* Ac provocat ad exempla divinæ omnipotentiæ, quando panis Eliam ab indigentiâ famis dierum quadraginta ſpacio vindicaverit, *1. Reg. 19. v. 8.* & benedixerit farinæ & oleo. *Ibid. cap. 17. v. 16.* Et hunc effectum hujus Arboris inter *miracula* refert. Ad quam ſententiam etiamſi non acceſſiſſe; ſaltem quoad rem ipſam ambiguus fuiſſe videtur *Theodoretus*, dum *Quæſt. 26. in Geneſin* ſcripſit: *Quemadmodum Lignum crucis ſalvare dicitur, propter ſalutem naſcentem ex fide, quæ de eo eſt: Sic & iſta ligna ſunt quidem Plantæ è terrâ natæ, ſed propter divinam ſententiam, alterum ex iis Lignum vitæ nominatum eſt: alterùm verò quia per ipſum ſentiri cæpit peccatum, appellatum eſt Lignum cognitivum boni & mali. Et circa hoc ipſi Adæ certamen indictum eſt. Lignum autem vitæ veluti quoddam vitæ præmium propoſitum erat obſervanti mandatum.* In quibus verbis, *utriuſq;* Arboris *Finem*, refert ad *divinam ſententiam.* Et *Arborem vitæ*; veluti quoddam *præmium Obedientiæ* propoſitam fuiſſe dicit.

VIII. Sic etiam *B. noſter Lutherus*, *Comment:* in Geneſin *pag. 52.* Vim iſtam verbo adſcribit: Dicit enim: *Sicut arbor ſcientiæ boni & mali, ſuâ naturâ bona erat. Sed propter verbum additum, erat homini venenum, etiam Spiritûs, non tantum corporis. Contrà arbor vitæ habebat propter verbum vim vitæ conſervandæ.* Ubi ſanè ſat clarè virtutem iſtam non arbori, ſed verbo arbori addito adſcribere videtur, ad eundem ferè modum, quo Serpens æneus Iſraelitas ſanavit. Pariter etiam *Mercerus, Comment: in cap. III. p. 102.* dicit: *Fructibus hujus ARBORIS DEUS eam vim indiderat, non tam ex arboris internâ quaquiam naturâ, quàm ex vi verbi ſui!* Et ad *Caput III. p. 163.* ſcribit: *Sed hæc alioquivis intrinſeca arbori non erat, niſi ex verbo Domini, quod cùm ille violârit, nihil mirum, ſi non ſupervixerit!* Quamvis Beatum noſtrum Lutherum rectè interpretari poſſimus; non tàm de Verbô quodam *ſpeciali* arbori huic addito eum locutum fuiſſe, quale non legitur in textu: quàm de verbo *creationis*, per quod Arborem hanc, cum ejusmodi vi & virtute DEUS produxerit. Eadem ſententia; ſupernaturalem fuiſſe, eſt etiam *Gabrielis* ad *2. Sentent. diſt. 19.*

IX. *Naturalem* autem fuisse ex nostratibus statuunt *Gerhardus, comment. in Genes. p. 51. Lucas Osiander in h. l.* & alii. Addit enim *Osiander: Hæc arbor ex ordinatione & voluntate divinâ vires ferebat fructus, qui conservare possent vigorem & vires in corpore comedentis; donec homo absolutâ periodo terrenæ vitæ fuisset absque morte translatus in vitam cœlestem.* Estque hæc eadẽ sententia *Strabi* in Genesin. *Hugonis de sancto Victore, Abulensis* in cap. 13. Genes. q. 161. *Procopii, Molinæ*, Tract. de Opere sex dierum, disp. 28. *Pererii*, Tom. I lib. 3. quæst. 4. cum quibus sentit & *Bonfrerius* in caput hoc II. v. 9. Addens, *hoc ipsum ex Scripturâ satis colligi, ex v. scil. 22. cap. seqq. Si enim supernaturalis ea vis fuisset, non fuisset ratio, cur homo arceretur ab esu istius arboris, vel Cherubinus, flammeus ve gladius ad arcendum hominem apponeretur, solâ enim DEI voluntate ea vis cessasset!* Et multis probat citatus *Pererius, p. 415. Lib. III. in Genesin*: & quidem ex veteribus; *fructum Arboris vitæ, fuisse πάσης φθορᾶς προφυλακτικὸν & hanc vim fuisse ei naturalem.* Quod etiam ad *Dist. 10.* citatam probabilius judicat *Estius*. Et *comment. in Genes. Tom. I. p. 90.* amplectitur *Jacobus Tirinus*. Eadem sententia est quoque *Becani, l. cit. Conclus. 4.* & *Cornelii à Lapide, comment. in h. l.* qui dicit; *Hæc vis & virtus fuit huic Arbori naturalis, uti est vis medendi in aliis fructibus & arboribus, inde enim à Naturâ suâ, nativâq; vi dicitur* Arbor vitæ: *ideoq; post peccatum mansit huic arbori hæc virtus, eâque de causa ab ea, & à Paradiso exclusus est Adam, postquam peccavit, ùt patet cap. 3. v. 22.* Sic etiam *Menochius*, in verbis Disp. I. Thes. 5. adductis, *naturalem* eam *facultatem* vocavit! Et idem quoque sentit *Marius*.

X. QUÆRITUR ergò IV. *Quâ ratione hæc ARBORI VITÆ, Immortalitatem produxisset in homine? Becanus*, quæst. 2. p. 137. Tom. I. Operum, *tripliciter* hoc futurum fuisse affirmat. 1. *Reparando humidum radicale*, sicut & cæteri cibi faciant. 2. *Reparando illud pari puritate, & sinceritate*, quod alii cibi non faciant. 3. *Corroborando calorem naturalem*, qui agendo & patiendo paullatim soleat debilitari, quod etiam alii non faciant cibi. Hinc *Dionysius Carthusianus* Enarrationibus in Genesin in *h. l.* probat sententiam *Thomæ*, in primâ parte, quæst. 97. docentis: *Per esum ligni vitæ subventum fuisse homini, contra defectum illum, qui fit ex admixtione extranei nutrimenti cum calido ac humido naturali, ex cujus admixtione*

tione naturalis vigor complexionis debilitetur. Cornel. *à Lapide, comment. in h. l. p. 72.* itidem dicit: Futurum hoc fuisse: *Primò, humorem naturalem primigenium aut eò meliorem suggerendo. Secundò, calorem naturalem continuâ actione & pugnâ cum aliis cibis refractum acuendo, roborando, & in pristinum, vel etiam meliorem restituendo, cumq; continendo & conservando.* Et posteà refutat *Aristotelem*, quĩ *lib. 3. Metaphysic: textu 15*, doceat: *Quicquid cibo vescatur, naturâ suâ senescere, dissolvi & mori.* Cùm *cap. 3 v. 21.* Moses expresse doceat & disertè: Adamum expulsum esse Paradiso, ne gustans lignum vitæ viveret in æternum: *Ergò lignum vitæ*, inquit, *potenat vitam prorogare in æternum.* Certum est, quòd sicut *ARBORI VITÆ* vis illa naturalis fuit: ita etiam illa productura fuisset suum hunc effectum in homine naturaliter, neque hic statuendum esse cum *Augustino* aliquod miraculum. Unde hæc *ARBOR* conservasset harmoniam Elementorum connaturalem, & concreatam, reparasset humidum radicale; & quidem longè meliùs, quàm alii cibi; & VITÆ addidisset perpetuitatem. Atque hoc omne per vim illam, quam hæc *ARBOR* habebat naturalem & concreatam. Adeoq; contulisset hæc ARBOR Homini non solùm, ùt esset ἀθάνατος sive *Immortalis*: sed etiam, ut esset ἀγήρως, *senio carens, & in perpetuâ juventâ constitutus.* Si enim ex Fabulis aliquid arcessendum esset, adduceremus exemplum *Thitoni*, Laomedontis filii, quem *Aurora* succo suo perfudit, & cui à Parcis immortalitatem impetravit, oblita interim *perpetuitatem juventutis* poscere, uti *Thomas Farnabius* annotavit ad *Lib 9. Metam. Fab. 2.* Vel; ut *Lavinius Torrentius* ad Oden. 16. Lib. 2. Horatii annotavit: Qui senectutem quidem non evasit, sed mori non potuit. Pertæsus igitur longissimæ ætatis, exsiccato jam corpore, membrisq; contractis, precibus obtinuit, ut in *cicadam* mutaretur. Quamobrem & *Michaël Apostolius*, Proverbiorum Centuriâ 17. n. 36. scribit: *Tithoni senectus.* De *supra modum longævis poniturMemoriæ enim proditur. Tithonum senectutis exeundæ cupidine in cicadam fuisse conversum.* Ad quæ annotat *Petrus Pantinus, pag. 361.* ad *senum loquacitatem* allusum fuisse. Est enim *senectus Naturâ loquacior*, ùt ait Tullius in Catone Majore. Ut igitur Tithono oneri fuit esse ἀθάνατον: cum non fuerit ἀγήρως: sic contrà, summa felicitas fuisset in Protoplastis, utrumq; fuisse. Eadem docet quoque

Toſtatus in *h. l.* Et in *cap. 13. Geneſ. quæſt. 172.* Qui videatur. Ut enim habeat quis, quod fortè admiretur, notamus, quòd *Alphonſus* ille *Toſtatus, Epiſcopus Abulenſis*, in ſolum Caput XIII. Geneſeos, in commentario iſto ſuo; habeat 834. quæſtiones, inter quas 77. priores ſunt ad textum: reliqui omnes; adeoque 757. agunt de Paradiſo. Quæ ſanè nimia & miſera cenſeri poſſit diligentia. Nam occaſione illorum verborum, ubi *Geneſ. 13. v. 10.* Sodoma & Gomorrha ante ſubverſionem dicuntur fuiſſe, *ut Paradiſus Domini*; tàm prolixè materiam de Paradiſo, *Capite* aliâs *Secundò* tractandam, eſt perſecutus. Qui & *Quæſt. 176.* dicit: *Lignum vitæ feciſſe, quod tranſiret cibus adveniens ad perfectam ſimilitudinem ejus, quod reſolutum eſt. Addit quoque; Fructus ex illo Arbore profuturos fuiſſe*, ùt *cibum*; *& quoque, & quidem magis, ùt medicinam.* Ac *Quæſtionem 175.* concluſit: *Ergò verè lignum vitæ faciebat, quòd homo viveret in æternum, i. e. nunquam moreretur, etiamſi viveret per mille millia annorum.* Et quidem, ut *quæſt. 176.* dicit: *Non ſi ſemel tantùm ſumeretur, ſed oportebat, ut ſæpe ſumeretur.*

XI. Progrediendum itaque nunc eſt ad hujus *ARBORIS FINEM*, qui fuit vel *ULTIMUS, DEI GLORIA*: vel *INTERMEDIUS*, conferre homini *IMMORTALITATEM*: Qui &, *EFFECTUS* ejusdem dici poteſt. Sunt autem, qui FINEM aliquem, etiam addunt *SPIRITUALEM.* Sic enim *Chryſoſtomus* Homil. 14 in Geneſ. p. 75. *Et lignum vitæ in medio Paradiſi, & Lignum ad ſciendum notitiam boni & mali. Miſericors enim Dominus, cùm, ut opifex præſciret ex multâ copiâ* (*vel* libertate, ἀδείας, ſecuritate, licentiâ) *procedente tempore, nocumentum ſubnaſci, produxit lignum vitæ in medio horti, & lignum ſciendi notitiam boni & mali: quandoquidem non multò poſt abſtinere ab iſto juſſurus erat, ut ſcire poſſit, quòd gratiâ & liberalitate illius frueretur, eſſetque Dominus aliquis & Naturæ ſuæ, & omnium viſibilium.* Quæ ultima verba *Finem* quendam *Spiritualem* arguunt. Sic etiam *Auguſt. Lib. 8. de Geneſi ad literam, cap. IV.* dicit. *Erat ei ergò in lignis cæteris alimentum, in illo autem* Sacramentum, *quid ſignificans, niſi ſapientiam de quâ dictum eſt*: Lignum vitæ eſt amplectentibus eam.

Prov. 3. v. 18.

DI-

17.

DISPUTATIONUM THEOLOGICARUM
De
ARBORE VITÆ
QVARTA ET ULTIMA.

RESPONDENTE

M. JOHANNE CHRISTIANO SCHLEGELIO, WERDA VARISCO.

THESIS PRIMA.

QVÆRITUR autem circa Ejusdem *FINEM: An unus usus ex hac Arbore sufficiens fuisset ad producendam Immortalitatem in Homine? Communior* est sententia: non fuisse sufficientem, sed esum sæpiùs reiterandum fuisse. Hinc *Marius cit. l.* sentit; *semel sumtum hoc lignum præservaturum fuisse à corruptione, usque ad determinatum tempus, quo finito vel homo translatus fuisset ad Spiritualem vitam, vel indiguisset iterum sumere de ligno vitæ.* Et citat *Thomam*, part. 1. quæst. 97. art. 4. Idem sentit *Cornel. à Lapide in h. l. &* pro se citat, *Scotum Durandum, Cajetanum & Pererium.* Sic quoque *Becanus* loc. cit: Concluſ. 3. dicit: *Lignum vitæ conservasset hominem, si sæpe & statuto tempore fuisset sumptum: non autem, si semel tantùm.* Item, *Estius* ad cit. *Distinct. 19. §. 8.* & in Annot. dicens: *Non igitur unâ ejus sumtione stabilem seu perpetuam vivacitatem homo consecuturus erat; sed ad vigorem plenæ ætatis conservandum, subinde ac sæpiùs ei opus fuisset esu ligni vitæ, & sic immortalitatem seu vitam stabilem esus ligni illius præstitisset, si homo non peccasset: inde scilicet dictum Lignũ vitæ.* Quæ *Bonfrerii* etiam est sententia, dicentis, *p. 133. Unica comestio hominem non fecisset immortalem, sed sæpius repetita.* Est quoq; *Abulensis*, ad Cap. 2. Genes. q. 10. *Quando semel comedisset*, dicentis, *de fructu illius Arboris reducebatur tota caro alimentalis, ad puritatem carnis primæ; quæ magno tempore durabat. Deinde incipiente fieri impuritate per cibos alios: si iterum sumeretur cibus illius Arboris, reducebatur rursum corpus ad pristinam puritatem: Et sic frequenter sumendo duraret Homo in æternum. Et quæst. 176. in Cap. 13. Geneseos.* Ita & Au-

gustinus

guſtinus & plerique Scholaſtici. Sunt tamen, qui *affirmant.* Uti faciunt *Irenæus lib. 3. contra hæreſ. cap. 37. Hilar.* Pſal. 68. *Nazianz.* Orat. 2. de Paſchate. *Rupertus*, lib. 3. in Geneſ. c. 30. *Chryſoſt.* quoque & *Theodoretus.* Et *Bellarminus* lib. de Gratiâ primi hominis cap. 18. cenſet homines ex hac Arbore vitæ tantùm comeſturos fuiſſe tunc, cùm proximè transferendi eſſent ex hac vitâ ad ſtatum gloriæ. Vel, ùt loquitur *de ſtatu gratiæ, in quo poterant non mori, ad ſtatum gloriæ, in quo non poſſent amplius mori.* Ut juxta hanc ſententiam, quam probabiliorem putat, & *Auguſtini* ac *Scholaſticorum* ſententiæ præferendam, doceatur; *lignum vitæ eam vim habuiſſe, ut vel ſemel guſtatum perfectam adferret Immortalitatem, qualem habebimus poſt reſurrectionem.* Qui poteſt videri. *Præbet* enim anſam cogitandi: Quòd ſicut Arbor Mortis, ſive ſcientiæ boni & mali, fuerit Arbor probationis: ita Arbor vitæ fuerit Arbor Confirmationis in bono. Sicut Chryſoſt. dicit eum fuiſſe in præmium obedientiæ. Et pro ſententiâ hac urgeri poteſt. 1. *Comparatio* cum *Arbore SCIENTIÆ BONI & MALI*: quia ut illa ſemel guſtata intulit mortem: ſic hæc ſemel guſtata conferre potuiſſet immortalitatem. 2. Textus *Cap. III. v. 22*, Ubi dicitur: *ne comedat: & vivat in æternum.* In hoc itaque ſententiarum divortio; ſi quis priorem amplecti velit, quam & nos veriſimiliorem judicamus, reſpondere poteſt ad 1. negando, parem fuiſſe rationem utriusque Arboris. Ad 2. DEUM intelexiſſe repetitam comeſtionem ex eâ, unde & Adamum paradiſo planè ejecerit, ne eſum ex eâ ſemel atque iterum repeteret. Si quis autem poſteriorem ſequi velit, dicere poſſet: unum quidem eſum fuiſſe ſufficientem, ratione termini ad quem; ſeu contuliſſe quidem immortalitatem, ſive vitam *perpetuam*: non autem contuliſſe *perpetuum vigorem*: unde & in hujus continuationem, & prioris quaſi conſervationem & confirmationem, ſæpius fuerit eſus repetendus. Quâ ratione huc applicari poſſet fabula *Titboni*, antè adducta. Ad vitam enim hanc naturalem, corporalem & mundanam, non autem ad Spiritualem, futuram, & cœleſtam hanc *ARBOREM* datam fuiſſe, certum eſt. Ac propterea non poteſt in hoc cum Arbore Scientiæ Boni & Mali comparari.

II. Sequitur tandem *EVENTUS.* De quo *Textus Cap. III. v. 22. Nunc igitur, ne extendens manum ſuam accipiat etiam de fructu Arboris vitæ, ut comedat, & vivat in æternum.* *Et v. ult. Inſtituit DE-*

US

US à parte anteriore horti Hedenis Cherubim, flammamque gladii ſeſe vibrantis ad cuſtodiendam viam ad Arborem vitæ. Per *LAPSUM* igitur & violationem mandati divini, Primi Parentes & Paradiſo, & eſu ab hac Arbore vitæ excluſi fuerunt; miſerandâ & complorandâ ſanè viciſſitudine. Circa hunc EVENTUM igitur, & circa iſta verba Textûs; *QVÆRITUR I. Qualem æternitatem collatura fuiſſet hæc ARBOR VITÆ? An abſolutam & omnimodam, an verò determinatam & reſtrictam?* In Ebræo enim habetur vox לְעֹלָם *Leolam:* quæ utramque ſignificat, ùt inter Eruditos notum, nec demonſtratu opus eſt. Vide *Geneſ. 17. 8. Exod. 21. v. 6. 1. Sam. 1. v. 22. & 13. v. 13. 2. Sam. 12. 10.* Ad omnimodam æternitatem reſpexiſſe videtur *Chryſoſtomus. Homil. XVIII.* dicens: *Homo prævaricando mandatum mortalis factus eſt, ne nunc & lignum, quod vitam præbet continuam, attingere audeat, peccaturus perpetuò: ſatius fuerit, hinc ipſum ejici.* Sic refert *Cornelius à Lapide p. 73. Ludovicum Molinam* cenſere, fuiſſe æternitatem hanc *abſolutam*; *quia*, inquit, *hoc lignum ſemper reſtituiſſet hominem priſtino vigori.* Ac *Tom. I. Operum, pag. 137. q. 2.* hæc *Secunda Concluſio* eſt *Becani: Lignum vitæ eam vim habuit, ut potuerit vitam hominis infinito tempore conſervare. Ita* Toſtatus & alii *contra* Scotum & Pererium. *Probatur ex illo, Geneſ. 3. Ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat de ligno vitæ & comedat, & vivat in æternum. Ex hoc loco conſtat*, inquit, *Adamum ideò expulſum eſſe ex Paradiſo, ne ſi comederet ex arbore vitæ, viveret in æternum: ergò eſus illius arboris conſervaſſet hominem in æternum.* Quemadmodum etiam *Riberus, Vetus*, Exercit: XL. p. 163. hujus ſententiæ meminit ac dicit: *Alios putare, ex unica fructûs illius præguſtatione, Immortalitatem perpetuam conſecuturum fuiſſe, atque ita mori impoſſibile futurum fuiſſe Adamum, niſi prohibitus fuiſſet ab illius Arboris eſu.* Sic etiam *Guilielmus Pariſienſis, Tom. II. part. 1.* de univerſo, *fol 59.* ſcribit: *Quod ſi dixerit quis: quia hanc virtutem habent omnes ſani cibi: Reſpondeo, quia revera ita eſt, ſed ad modicum & ad tempus breve: non autem in perpetuum: Lignum verò vitæ virtutem habebat hujusmodi, ut etiam in perpetuum conſervaret vitam ex illo veſcentium: Si eſſet divinæ voluntatis beneplacitum, ut tamdiu eſſent homines in Paradiſo terreſtri.* Hæc *Guilielmus.* Et præterea *Auguſtinus Torniellus*: Qui in Annalibus ſacris, *pag. 50.* dicit: *Hanc ſententiem videri Scripturæ Sacræ magis conſentaneam.* Et poſteà *pag. 51.* Quæſtionem decidit: *Dici poſſe, quòd illius*

Arbo-

Arboris fructus vim habuerit conservandi hominem, donec DEO *placeret ipsum ad Beatorum vitam in cœlum transferre, ita tamen, ut si eidem* DEO *placuisset, Adamum in Paradiso terrestri perpetuò degere, potuisset ibidem esu dictæ arboris in æternum, ab omni senio, & naturali carnis defectu incolumis præservari: talis enim erat naturalis ejusdem Arboris facultas!* Sed *communior est* sententia : Arborem hanc non *omnimodam & absolutam*, sed *determinatam & restrictam æternitatem* collaturam fuisse. Et pro hac *Cornel. à Lapide* citat *Scotum, Valesium & Cajetanum*, quos & ipse sequitur. *Nam*, inquit, *hoc lignum prorogasset homini vitam & vigorem ad aliquot annorum millia, donec Deus transtulisset eum in cœlum, quæ æternitas quædam est. Ebræi enim* עוֹלָם, id est, *æternum, vocant ex vulgi usu tempus longissimũ, cujus finis ab homine non pervidetur.* Sic etiam *Marius* in h. l. scribit: *Inde ergò dicta arbor vitæ, quia vitam conservasset, & potentias vitales, calorem quoque vitalem, & humidum radicale reparasset, atque ita illius beneficio vixisset homo in statu innocentiæ, sive mille, sive quater mille annis, aut amplius, sanus perpetuò, & vegetus; usque dum placuisset* DEO *eum in cœlos & beatitudinem plenam (qualis nunc erit post resurrectionem) transferre, non* exutum *naturâ sed* superveſtitum *gloriâ.* Sicut etiam *Bonaventura* scribit, *ad Lib. 2. dist. 19. quæst. 2. resp. ad 2. Dicendum, quod æternum non dicit ibi* (nempe cap. 3. v. 22.) *vitæ interminabilitatem: sed vitæ quandam diuturnitatem, sicut sæpe consuevit loquì Sacra Scriptura. Quamvis autem lignum vitæ illud corpus non posset perpetuare: potest tamen adeo naturam ipsius adjuvare & vigorare, ut diutius viveret.* Ita *Bonaventura*. Eadem est sententia *Tostati, quæst. 24. in Cap. III. & q. 106. in Cap. 13.* Sic ex Reformatis *Mercerus* scribit, *comment. in Cap. III. p. 102. Hebræi* לְעוֹלָם *non in æternum exponunt, sed in longissimum tempus, ut omninò sumeretur, teste Aben Ezrâ, si adderetur* וער *Nam esus fructus arboris vitæ non alioqui immortalitatem homini attulisset, sed vitam longiorem, longiorem dico eâ, quam egit 930. annis, quia non singulis momentis morti fuisset obnoxius, uti postea fuit, sed in longissimum omninò tempus vitam protraxisset beneficio fructuum illius Arboris.* Eadem sententia est quoq; ex Nostratibus *Lucæ Osiandri*, in verbis superiùs citatis. Qui hanc *æternitatem* ad destinatam terrenæ vitæ periodum restringit. Et *Rungii, Comment. in cap. 3. p. 212.* Hoc certum est, quòd *actualiter* Arbor hæc non fuisset homini collatura absolutam æternitatem:

Sed

Sed immortalitatem hanc seu stabilitatem vitæ restringendam esse ad destinatam à divinâ voluntate periodum vitæ terrenæ. Ibi enim DEUS, ut benè locutus est *Marius, eum in cœlos & beatitudinem plenam transtulisset, non exutum naturâ, sed supervestitum gloriâ*; ac ita pro liberrimâ suâ voluntate huic terrenæ vitæ finem imposuisset. Quòd autem, si DEUS voluisset, *potuerit* homini conferre absolutam Immortalitatem, non est negandum; sicut *Bonaventura* dicit: *Lignum vitæ corpus non potuisse perpetuare*: Et sicut *Cornel. à Lapide cit. l.* scribit: *Non tamen potuisset hoc lignum prorogare homini vitam absolutè in omnem æternitatem; propterea, quod & ipsum hoc lignum fuerit corpus mixtum, & corruptibile, cujus vis & vigor tandem fuisset peritura. Potuisset* enim omnino conferre absolutam æternitatem, si DEUS voluisset. Unde rectè scribunt *Wigandus* & *Judex* in *Syntagmate Veteris Testamenti p. 406. Sicut DEUS in æternum existit, ita potuisset hominis natura post creationem durare in æternum*. Unde & *Bonfrerius* sententiam illam, quam *Cornelius à Lapide* in isto discursu secutus fuerat, impugnat, dicens: *Adsto humano genere, nihil vetat dicere hanc Arborem propagandam, sive in Paradiso, sive fortè etiam extra Paradisum, ad eum modum, quo cætera Arbores propagantur. Unde ex arbore hac veterascente non satis colligi potest* (attende Tuo Socio *Cornelio!*) *hominẽ tandem moriturum fuisse in statu illo innocentiæ, si in terris perpetuò relictus fuisset; quod enim præstare nequisset arbor illa unica, præstitisset alia similis ex eâ propagata*. Hæc *Bonfrerius*. (Sicut etiam *Estius* ad *Lib. 2. Dist. 19. §. 7. Arbor vitæ*, scribit, *licèt non in individuo, secundum speciem tamen perpetua fuisset futura*. Quin & per omnipotentiam suam DEUS hanc arborem conservare potuisse, quis ambiget? Nam etiam *Tostatus*, Quæst. 10. in cap. II. Geneseos dicit: *In æternum duraturam fuisse Arborem vitæ*; si homo non peccasset. Quī tamen postea *in Cap. 13 Genes. quæst. 168.* æquè ut Cornelius à Lapide postea fecit; pari audaciâ scripsit: *Non concedimus, quòd lignum vitæ, quantumcunq; esset excellens, posset efficere aliquos immortales. Quoniã, qui sit immortalis, nullo modo possit mori aut corrumpi*. Ubi tamẽ paullò aliter vocem, *Immortalis*, videtur accipere, atq; aliàs hîc accipi solet. Et *Becanus, Tom. I. Operum. pag. 137* itidem contra istam sententiam disputat, ostendens: *Effectum aliquem, quamvis finitus sit, & à potentiâ finitâ procedat; posse tamen infinito tempore durare, ùt pateat in visione beatificâ, & gloriâ corporum beatorum*. Quamvis ergò *absolutam*

lutam aternitatem Arbor hæc *actualiter* non contulisset, quia restricta erat hæc æternitas ad certam vitæ terrenæ periodum: *potuisset* tamen conferre eam, si DEUS voluisset. Et ad hoc suo modo fortè etiam respexerunt, qui absolutã æternitatem defenderunt.

III. *QUÆRITUR* II. *Quamobrem DEUS tam diligenter caverit post lapsum, ne homo ederet de fructibus ARBORIS VITÆ?* Non solùm enim dixit: *Nunc ergò, ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum: sed etiam collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubim: & flammeum gladium atq; versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.* Quamobrem *Quæst. 24. in Cap. III. Toſtatus* scribit: *Alicui fortè dum videbitur ista sententia: quia post tot miserias inflictas Protoplastis adhuc interdicitur eis, ne comedãt de ligno vitæ. Primòitaq; sunt, qui dicunt: Verba illa priora dicta esse à DEO into.* Ita *Lutherus*; comment. in Genesin p. 52. scribens: *DEus imtus non vult ei post lapsum permittere regressum ad illam arborem. Non ideò solùm, ut admoneretur de peccato admisso. Sed etiam quia Adam habebat jam meliorem promissionem, quòd semen mulieris esset contriturum semen serpentis, ut quanquam subjectus esset corporali morti, tamen retinuerit spem immortalitatis per Filium Dei. Sicut Paterfamilias intus, etsi non adimit filio hereditatis jus, tamen eum castigat, ejicit domo.* Et paulò pòst, *Sunt igitur hæc verba omnia verba* videntis & iratscentis *DEI, ad Adamum jam justificatum, ut & de futuris esset cautior, & præteritorum memoriam non amitteret!* Hæc *B. noster Lutherus*: omnia hæc accipiens, tanquam aliquo modo *Ironicè* dicta & *ex animo irato*. Sic etiam *B. Glassius* in *Rhetoricâ Sacrâ p. 538. & 539.* de Aposiopesi agens, dicit videri eam II. *In irâ & comminatione.* Et exempli loco adducit hoc dictum, *Genes. 3. v. 22. Nunc ergò, ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de arbore vitæ, & comedat & vivat in seculum!* & addit: *In his verbis Jehovæ, succensentis homini ob peccatum commissum, & violatam divinam legem subintelligendum est, quod per aposiopesin omittitur: Exturbabo hominem de horto, aditumq; eum prohibebo.* Vel, ùt *Mercerus supplet: dimittamus eum!* Eodem modo accipit quoque *Estius*, ad *h. l.* scribens: *Sensus autem hujus loci est Ironicus. Perseverat enim Dominus Ironicè loqui. Dixerat enim antè per Ironiam: Ecce Adam factus est, sicut unus ex nobis sciens bonum & malum. Deinde addit eodem schemate sermonis; Nunc ergò ne fortè mittat, &c. Quasi dicat, ne sibi videatur stultâ suâ persuasione victurus in æternum, auferamus ei hanc persua-*

ſuaſionem, ejiciendo eum, & arcendo à ligno vitæ. Ubi quoad *prius* quidem *Ironiâ & animo irato* cum *B. Luthero* idem dicit: ſed quoad *poſterius*; Adamum *ex ſtultâ perſuaſione putaſſe, ſe victurum in æternum, & DEUM quoq; verba ſua de ſtultâ illâ perſuaſione dixiſſe & intellecta voluiſſe*; ſententia ejus peculiaris eſt. *Dyoniſius Carthuſianus* in Cap III. Geneſ. itidem dicit: *Totum hoc dupliciter accipi poſſe; Primò, quaſi Ironicè dictum: Secundò, quaſi ſeriosè & præceptivè prolatum.* Quod *poſterius* tamen probat, & *æternitatem* de *diuturnitate* interpretatur. Sic quoque *Bonfrerius* in *h. l.* de animo irato accipit, dicens: *Subintellige per apoſiopeſin; arceamus illum Paradiſo, verba enim ſunt DEI irati.* Pariter *Mercerus* in *h. l.* dicit; *DEUM* iratum *eum ſtatuiſſe dejicere.* Et poſtea addit: *Voluit DEus hominis temperitatem retundere, & coercere, quâ ſicut auſus fuerat vetitam aggredi arborem, & de ejus fructu edere, ſic vitæ reſtaurandæ cupidus idem & in arbore vitæ non vetitâ auſus fuiſſet, ſpe mortis vitandæ.* Et iterum addit; *Ne manum injiciat*; quod eſt *deſtinatò, & de induſtriâ, per præſumtionem, ut dicunt, & temeritatem aliquid committentis, & ſumat* ▭ etiam: *Ubi vox* Etiã *Emphaſin habet, quaſi diceret ſicut de arbore ſcientiæ boni & mali vetitâ auſus eſt ſumere. Id nunc cavendum eſt, & à tali temeritate prohibendus.* Sententiam *Merceri* ſequitur *Andreas Rivetus*, Exercit. XL. in Geneſin Edit. in fol. p. 164. ſcribens: *Inde ejectus eſt, & ab eſu Arboris prohibitus, ne ſtultè ſibi ex ejus ligni uſu promitteret Immortalitatem* Et *p.* 165. inquit: *Concludimus ergo, his verbis, non reſpexiſſe DEUM ad ipſam rem & eventum, ſed ad* opinionem & ſpem *Adami ob rationem nominis Arboris vitæ non benè intellectam, quaſi per eſum fructûs arboris iſtius in vitâ conſervandus eſſet, ſive peccaret ſive non peccaret.* Itẽ *Tremell.* in notis; addens: *Hæc ad conſiliũ hominis peccatoris reſpiciũt, non ad eventum rei. Non enim hoc dicit DEus, fore ut homo recipiat vitã ſi de hoc fructu comederit, tanquam ſi vitalis aut vivifica potentia in arbore illa reſediſſet:* (In hoc errat; & ſententiam Calvini ſuprà refutatam ſequitur) *ſed hominem hypocratam daturum operam, ut hãc ſpecie tanquam ex opere operato, ſibi vitam ſpondeat, imaginetur q;, non ſine gravi in DEUM contumelia.* Frigidè autem ſuper hunc locum *Hugo Cardinalis* ſcripſit: *Impleto numero electorum, guſtaturi erant de ligno vitæ: & ſic ad beatum ſtatum migraturi: ſed cuſtodia eſt adhibita, ne qui indigni facti ſunt, attingant ulteriùs.* Hæc *Arbor VITÆ* enim non propter vitam cœleſtem, ſed propter vitam naturalem fuit condita.

IV. Sed contra hoc *posterius*, quod citati Auctores, verba DEI dicta esse volunt de *vanâ hominis persuasione*; de *temeritate & præsumtione*, de *destinatâ industriâ & consilio*: valere existimamus verba *Rungii, pag. 214.* dicentis: *Sed Moses non loquitur de opinione & fiduciâ Adami, sed de reipsâ; ne vivat. Alii* igitur & hæc verba & cautelam Dominicam, potiùs referunt ad singularem *Misericordiam & Providentiam DEI.* Ita enim *Chrysost. Homil. XVII.* in Genesin: ita DEUM introducit loquentem: *Qui magna intemperantiæ indicia exhibuit, prævaricandoq; mandatum mortalis factus est, ne nunc & lignũ, quod vitam præbet continuam, attingere audeat, peccaturus perpetuò: satius fuerit hinc ipsum ejici.* Et subjungit: *Ita ut magis providentiæ, quàm indignationis fuerit illa ejectio. Hinc enim mos est Domini nostri, ut puniens non minus, quam benefaciens suam erga nos declaret providentiam. Quippe & hanc pœnam admonitionis gratia nobis irrogavit.* Ubi tria dicit: I. Habitum quidem fuisse respectum ad Hominis intemperantiam. II. Magis tamen providentiæ, quàm indignationis illam ejectionem fuisse. III. Simul tamen hanc ipsam ejectionem, & consequenter prohibitionem, ne ederet ex arbore vitæ, pœnam admonitionis fuisse: Crucem videlicet non *vindicativam*, sed *emendativam*. Ac ita ostendit, *utramq; sententiam certo modo conjungi posse*: Erat enim *pœna*, & proveniebat à *DEO irato*, quatenus originẽ ducebat à peccato, & prævaricatione mandati. Erat autem *non tam indignationis, quam providentiæ & misericordiæ divinæ*, quatenus tendebat ad *BONUM* & salutarem *FINEM.* Quem apud *Gesnerum n. Cap. III. Quæst. VI. Basilius* dixit fuisse: *Ἵνα μὴ ἀθάνατον ἐν ἡμῖν τὴν ἀῤῥωστίαν διατηρήσῃ, ne immortalẽ in nobis illum morbum conservaret*: Ne idem eveniret homini, quod Diabolo, cui vita perpetua relicta est ad perpetuã miseriam. Et ita *illi*; qui vocem לְעֹלָם pro *æternitate* accipiunt, cõmuniter interpretantur. Qui autẽ de *Diuturnitate* accipiunt, exponunt de miseriæ prolongatione; utriq; tamen referunt ad *Providentiã & Misericordiam* DEI. Nam ùt *Quæst. XXIII.* idem *Gesnerus* rectè scripsit: *Non est invidiæ* (ut fortè quis minus rei intelligẽs opinari posset) *quòd DEUS homines ab arbore vitæ arcet. Fecit enim id, ut cursum peccati cohiberet est. Pœna igitur illa medicina, nõ mors. Nã licèt Adamus sententiã divini judicii, quæ jam pronũciata fuerat, pulvis es, & in pulverẽ reverteris, intervertere esu pomi vitalis nõ potuisset; vitã tamẽ in multa secula hoc ipso medicamento produxisset.* Et citat *Theodoret.*

quæst.

quæst. 20. Sed est *Quadragesima*. Et ibi inquit *Theodoretus: Prohibuerat ipsi DEus, non accipere de ligno vitæ, non quod invideret homini vitam æternam: sed ut peccati cursum cohiberet Pœna igitur illa medicinæ est, non mors. Reprimit enim peccati impetum. Nam mortuus justificatus est*, ait, *à peccato*. Rom. 6 Sicut enim hunc *FINEM B.* noster *Gerhardus* assignat, Comm. in h.l. p 123. postquam rejecisset *illorum* sententiam, qui finem hujus prohibitionis fuisse putarunt, ne in eâ non minùs, quàm in priore arbore peccaret; dicens: *Sed DEus ipse aliam prohibitionis assignat causam, videlicet, ne miseram illam vitã, in quam per peccatum inciderat, esu fructuum ex hac arbore nimioperè prorogaret,* לְעֹלָם *enim non semper æternitatem, sed longum tempus, cujus finis est absconditus, significat.* Et *Tostatus*, loco *Thes 2.* citato scribit: *Respondetur, quòd DEUS in hoc valdè misericorditer punitionem inflictam temperavit. Homines enim in magnas miserias inciderant, DEO irascente: Si autem concederetur ei esus ligni vitæ, diuturna esset vita eorum: & tantò diutiùs in miseriis angustiarentur. Cum ergò miseriarum tempus abbreviavit, misericors valdè fuit.* Eadem etiam est sententia *Petri Martyris in Cap. III. Geneseos pag. 18. Vide hîc*, inter alia inquientis, *divinæ Justitiæ proprietatem, ùt multum sibi admixtum habeat misericordiæ!* Quamvis ergò homo non esset futurus immortalis, *etiam si vel omnes ejus arboris fructûs devoraſſet*, uti *Mercerus* loquitur; & ex eo *Rivetus* cit. *p. 165.* qui & sententiam hanc operosè impugnat, siquidẽ lata sententia de morte temporali, erat irrevocabilis: tamen in multos annos calamitosam suam vitam, prorogare potuisset, si de hac arbore comedisset. Utcunq; igitur *Mercerus* dicat: *Non hunc esse puto loci sensum*: tamen nos *putamus*; & absque ulla hæsitatione credimus. Nam ita *Irenæus* quoq; *Lib 3. Cap. 37 p. 224. Non invidit DEUS homini lignum vitæ, sed miseretur ejus, ut non perseveraret semper transgressor, neque immortale esset, quod erat citra eum, & malum interminabile.* Sic etiam *Marius* exponit: *Ne æternum miserè viveret.* Ac *Menochius: Ne æternùm miser esset!* Nam, ut in *Mose expenso, pag. 126* etiam *Novarinus* scripsit: *Non invidit Immortalitatem, sed tempus commodum elegit.* Sic igitur *causæ* hujus cautelæ & prohibitionis fuerunt 1. Ratione *originis* & *causæ* promerentis, *LAPSUS* primorum parentum, & consequenter *Iræ* & *Justitia DEI.* Sed II. Ratione *FINIS*, quia jam tum per *Semen mulieris* erant in gratiam recepti, ejusdem *Misericordia* & *Providen-*

ne vitam hanc calamitosam & miseram, atq; peccatis obnoxiam, in longissima prorogarent tempora: Et ne aliquo modo remora rejiceretur latæ sententiæ de morte temporali. Quia enim *VIRTUS* prorogandi vitam ARBORI huic naturalis erat; nec DEUS Naturam facilè mutat: ideo hac ratione *Ordinationi* suæ cavit!

V. *QVÆRITUR* III. *An Protoplasti unquam comederint ex Arbore vitæ?* Quòd post *LAPSUM* nunquã ex eâ comederint, sat clarè indicat Textus. Siquidem id præcaverat *Divina Providentia, &* obstabat *Angelica custodia*, erantque *dimissi ex Paradiso*. Dubium ergò tantùm est: *An ante LAPSUM ex illa comederint?* Affirmat *Augustinus*, Lib. II. de Peccatorum meritis, Cap. 21. Tom. VII. p. 299. Cujus verba digna sunt, quæ hîc legantur integra. Sic igitur scribit: *Postea quam illi primi homines, vir unus Adam, & ex illo Eva, uxor ejus, accepto DEI præcepto servare obedientiam noluerunt, justa eos pœna ac debita consecuta est. Sic enim comminatus fuerat Dominus, quòd eâ die, quâ vetitum cibum ederent, morte morerentur. Proinde, quia utendi ad escam, omni ligno, quod in Paradiso erat, acceperant potestatem, in quo etiam* lignum vitæ *plantaverat Deus: ab illo autem solo eos prohibuerat, quod appellavit scientiæ boni & mali, quo nomine significaretur experientiæ consequentia, & quid boni custodita, & quid mali essent transgressâ prohibitione sensuri:* rectè *profectò intelliguntur ante malignam Diaboli persuasionem abstinuisse cibo vetito, atque usi fuisse concessit ac per hoc & cæteris, &* principuè ligno vitæ. *Quid enim absurdius, quàm ut credantur ex aliis Arboribus alimenta sumsisse, non autem etiam ex* illo, *quod & similiter permissum fuerat, & utilitate præcipuâ per ætatum lapsum mutari, quamvis animalia corpora, in mortem q; vetera scere non sinebat, tribuens hoc corpori humano, de suo corpore beneficium.* Ubi apertè dicit, quod *præcipuè ederint etiam de ligno VITÆ; & negativam sententiam* inter *absurda* refert. Ac notari quoque potest, quòd in his verbis, dicens: *tribuens hoc corpore humano, de suo corpore beneficium*: concedere videatur hanc vim arbori isti *naturalem* & *intrinsecam*, non *assistentem* & *extrinsecam* fuisse, quod tamen alibi negavit. Et argumentum illud, quòd *Arbor hæc ante lapsum Homini permissa fuerit, æquè ùt Arbores aliæ*, etiam reperitur apud *Chrysost. Homil. 18.*

VI. Sed *Alii* rectiùs statuunt *contrarium*. Sic enim *B. Gerhardus* Negativam amplectitur, *Comment. in h. l. p. 51.* dicens: *non videtur*,

cur, Adamum comedisse ex illâ Arbore, cum esset in Paradiso. 1. quia brevi tempore in Paradiso fuit. 2. Ac esus illius fuisse homini permittendus, si legem de non comedendo fructu vetitæ Arboris observasset. 3 Gen. 3. v. 22. emittitur homo ex Paradiso, ne comedat de hâc Arbore. Ergò anteà ex eâ non comederat. Ubi quidem ad 1. regerere posset *quis* pro *Augustino: Negari consequentiam*; cùm etiam in brevi isto tempore potuerit ex eâ comedere. Ad 2. Hoc *non legi* in textu, & contrarium patere inde, quòd sola Arbor vetita prohibita fuerit, reliquæ omnes permissæ. Sed 3. *Tertia* ratio est solida. Non enim *esus continuatus* aut *repetitioni*, sed ipse *esui primo* DEUS tam diligenter cavit. Sic etiam *Cornelius à Lapide* statuit in *Cap. II. v. 9.* quòd nunquam Adam ex hac Arbore aliquid gustaverit. Ac utitur eâdem ratione, quæ desumta est à *Brevitate temporis, quod Adam fuerit in Paradiso.* Quod autem ad *Cap. III. v. 22* scribit *Johannes Sephanus Menochius: Verisimile est Adamum adhuc non modo non gustâsse, sed & ignorâsse ubi sita, & quæ esset Arbor vitæ, quòd & Diabolum latuerit. Quâ ignorantione bellè Deus & misericorditer Adamo consuluit ne qui miser futurus, æternum miser fieret:* In eo *prius* probamus, *posterius* autem, ut planè improbabile rejicimus.

VII. *QVÆRITUR* circa *EVENTUM* IV. *Cur Deus hanc Arborem condiderit, cùm tamen præsciverit, quod nunquam homo ex eâ esset comesturus?* Respondet *Marius* ad *v. 9. Voluit Deus hoc lignum producere, etsi præsciverit hominem eo nunquam usurum, ut suæ in nos clemẽtiæ speciem exhiberet, ostenderetq; quanta ipse nobis dona præparasset, quæ nos negligentiâ & crimine nostro amisimus; paratq; adhuc dare majora, nisi prima amisissemus.* Quæ desumta sunt maximam partem ex *Theodoreto, quæst. 24. in Gen. p. 9.* Qui ad quæstionem: *Quâ de causâ Deus plantaverit Paradisum, mox expulsurus inde Adamum, propter peccatum?* respondit: *In primis Dominus Deus non solet condemnare ex præscientiâ. Quapropter transgressionem Adæ prævidens, bona illi contessit. Deinde voluit illum cognoscere beneficia divina, ut iis privatus, odio gravi prosequeretur peccatũ, per quod tantis bonis careret. Præterea conveniebat justũ agonothetam, athletis virtutis, proponere præmia victoriæ.* Ac quemadmodum *Diss. Isag XXII. §. 22.* B. noster *Gerhardus*, Calviniano cuidam scriptori, qui se vocavit *Rudolfum Otreb* & per methatesin literarum est *Robertus Fludd*; qui *negavit* Paradisum realiter unquam extitisse, ac in *Tract. Th. ad frat. ros. crucis, lib. 1. de*

vitâ

vitâ, cap. 9. pro *absurdo* habet; *DEUM Paradisum condidisse, qui tempore tam exiguo homini fuisset usui*; Respondit: 1. DEUM non tractare hominem ex præscientiâ fututorum, sed juxta præsentem statum. Quamvis ergò præsciverit DEUS, hominem peccaturũ, tamen, quia status integritatis requisiverit habitaculum pulcherrimum, & amœnissimum, ideò Paradisum in usum hominis plantasse. 2. Etiam post lapsum Paradisum homini usum præbuisse, quatenus fuerit memoriale admissi peccati, & amissæ felicitatis. 3. Etiam originalem justitiam ab homine; & cœlum à Lucifero, exiguô tempore fuisse retenta. 4. Fuisse Paradisum terrenum conditum, ut excitaret desiderium cœlestis Paradisi, cujus delicias & divitias primis hominibus præfiguraverit, *Luc. 23. v. 43. 2. Cor. 12. v 4. Apocal. 2. v. 7. c. 21. v. 2.* Sic etiam omnia illa huc accomodari possunt. Nempe non tractavit Deus hominem ex *præscientia futurorum*, aut Res creavit ad *statum peccati* accomodatas: Sed agit juxta præsentem statũ, & Res produxit, prout conveniebant *Statui innocentiæ*. Unde & hæc Arbor *memoriale* fuit postea, admissi flagitii & amissæ beatitudinis: Et suspiria movere potuit, ut homo ad futuram æternam Beatitudinem piè aspiraret. Benè *Guilielmus Parisiensis*, Tom. II. Part. 1. de Universo fol. 59. *Sunt & aliæ utilitates, sicut eruditio hominũ & correctio, dum enim audiunt, amisisse se Habitationem tam nobilem, & hoc irrecuperabiliter, & erudiri ex hoc debent, & provocari ad obedientiam creatoris, & deterreri à similibus culpis illi, propter quã patria illa hæreditas ablata est, & miseriæ præsentis exiliũ irrogatũ.* Vide quoq; *Gerh. commentario in Genesin p. 50.*

VIII. QVÆRITUR V. *Quænam fuerit illa custodia, de quâ Textus Cap. III. v. ult. Instituit à parte anteriore horti Hedenis Cherubim, flammamque gladii sese vibrantis, ad custodiendum viam ad arborem vitæ.* Emmanuel *Sà* in Notis dicit: Quod fuerint *Angeli* in humanâ formâ. *Theodoretus* locô mox citando & *Procopius*: varias & terribiles animalium species intelligunt. *Lyranus*, quia Paradisum in altissimo monte collocat, putat ex eo *copiosissimum ignem* prorupisse per circuitum. *Augustinus & Chrysostomus*, Angelos intelligunt, quorum ministerio Deus hîc sit usus. Sicut etiam *Dionysius Charthusianus* in *Cap. III. Genes.* probat illos Textûs, qui legant: *Nunc ergo videte*; quamvis *Verbum hoc* non habeatur in Ebræo & addit: *Ita ag3 Dominus ait ad Angelos, quibus Paradisi custodiam, & primorum parentum inde*

expul-

ſtanem commiſerat. Et *Flammeum gladium; Marius* itidem cum *Tremellio* interpretatur *Flammam gladii verſatilis*; & addit: *Significatur autem hic, vel quod fuerit gladius, inſtar ignis fulgurans, vel ignis ad gladii ſimilitudinem effiguratus.* Sicut & *Virgilius* dicat, tanquam exterus ſcriptor: *Fulmineum rotat enſem.* Quò inclinat etiám *Theodoretus, quæſt.* 40. in Geneſin *p.* 12. ſcribens: *Non igitur gladius ille flammeus naturaliter igneus erat, ſed viſu talis.* Cherubim autem *dicit vocari illud omne, quod potentiâ præditum ſit.* Et per hæc verba: Et *ſtatuit Cherubim*, indicari potentem quandam, & terribilem viſionem & formam. Sed minùs rectè. nondum enim probatum eſt, *Cherubim vocari id, quod potentiâ ſit præditum*: Et *per Cherubim* indicari *potentiam quandam, & terribilem viſionem & formam. Tertullianus* in *Apologetico*, quem ſequitur *Thomas 2. 2. quæſt. 165. art. ult.* putant eſſe *Zonam torridam*, quæ ob æſtum impervia ſit, ac inter haſce noſtras regiones & Paradiſum interpoſita. *Lyrani* ſententiam de *igne in circuitu ante Paradiſum micante*, ſecutus eſt etiam *Abulenſis Quæſt. 26. in Cap. 9II. Geneſ.* dicens. *Et flammeum gladium.* Id eſt; *murum igneum circundantem Paradiſum ex parte inferiori.* Et ſtatuens, *DEUM creaviſſe ibi ignem noviter, fortè convertendo illam materiam aeream ejuſdem loci in ignem.* Et Curthuſianus in cap. III. Fol. 33. Lit. F. Ex quo poſtea Pontificii Allegoricè exſtruunt *Ignem Purgatorii*; aut *Ignem ante cœlum poſitum, quem omnes animæ tranſire teneatur, etiam animæ S. Petri & Pauli*; ùt apud *Cornel. à Lapide*, in *Cap. III. Geneſ. p 93.* eſt videre. Cujus aliàs ſententia hæc eſt: *Verùm dico, inquit, hæc omnia propriè, ùt ſonant, accipienda eſſe nimirum, quòd Angeli, ex ordine Cherubim poſiti ſint ante Paradiſum, ut ejus aditu prohiberent, tùm Adam & homines, tùm etiam Dæmones; ne ſcilicet ipſi Paradiſum ingreſſi, fructum Arboris vitæ decerperent, quem hominibus offerrent, pollicentes eis immortalitatem, ut hac ratione eos ad ſui amorem & cultum pellicerent.* Et dicit ita ſentire *Chryſoſtomum, Auguſtinum, Rupertum* & *alios.* Ubi quoad *priora*; Angelicam fuiſſe hanc cuſtodiam & homines aditu eâdem fuiſſe prohibitos, conſentimus: *Poſteriora* autem de *prohibitione ab aditu Dæmonum*, & *oblatione fructuum ex arbore vitæ furtim ſublatorum*, non admittimus. Idem *Cornelius* pro incerto habet: An gladius hic fuerit flamma, habens formam & ſpeciem gladii; an verò reverà fuerit gladius, ſed igne candens, fulgurans, & quaſi flammas vomens.

IX. *Jacobus Bonfrerius in Cap. III.* itidem ſtatuit: Plures Angelos in hunc finem appoſitos fuiſſe, propter vocem Ebræam כְּרוּבִים, quæ *pluralis* ſit numeri, non *dualis*, ùt videatur voluiſſe *Eugubinus*, qui hoc argumento cenſuerit, *duos* iſti cuſtodiæ præfectos fuiſſe. Quam ſententiam etiam *Bellarminus* probat *Lib. de gratiâ primi hominis, c. p. 16.* Ac *flammeum* illum *gladium* propriè capiendum eſſe dicit pro vero & materiali gladio, ſive è ferro, aut ex aliâ aliquâ ſolidâ materiâ factus fuerit; Sive è flammâ ipsâ compactus gladius dicetur. Carpit quoque *Cujusdam* ſententiam, qui flammam à gladio ſeponat & diverſam faciat. Et rectè ſubjungit: *Miræ hic quorundam opiniones; ut eorum, qui per flammam intellexerunt ignem purgatorium; item, qui ignem elementarem dixerunt, conſentes ad Lunæ globum elevatum Paradiſum terreſtrem; item, qui ſignificari putarunt Zonam torridam, in qua reponebant Paradiſum.* Ac tandem vocem Ebræam הַמִּתְהַפֶּכֶת, *verſatilem:* vel *vertentem ſe*; explicat, de acutâ utrinque acie, & ancipiti gladio; & videri: hoc verbum ſonare *actum.* Quæ omnia meritò approbantur, & rectiora ſunt; quàm illud, quòd *Dionyſius Carthuſianus* in Cap. 3. ſcripſit: *Vel dictus eſt*, verſatilis gladius, *i. e. aptus verſari ac rolli, cùm DEO placeret, ſicut ablatus eſt, dum primo Enoch, deinde Helias illuc translati ſunt.* Quod autem eodem modo, ùt *Cornelius à Lapide*, dicit, propter arcendos Dæmones, & quidē *maximè*, Cherubim appoſitos fuiſſe, ne ipſi fructûs ex arbore vitæ decerperent, & homini offerrent, ſomniantis cerebelli abortus eſt. Non enim propter *Dæmones*, ſed propter *homines* arcendos à Paradiſo, & ab Arbore vitæ appoſiti Cherubim in textu dicuntur. Ut mirum ſit, unde Pontificiis Interpretibus oblatum fuerit hoc ſomnium. Nam etiam *Abulenſis* id affert, *Quæſt.* 25. In Cap. III: Et *Menochius* addit ad *v.* 24. *Tom.* 1. *in Bibliâ p.* 7. *CHERUBIM eſt numeri pluralis. Cauſa herò collocandi Cherubinos, ut & homines, & Dæmones ab ingreſſu arcerent, illos, ne de ligno vitæ ſumerent: hos ne ingreſſi decerperent, & homini darent, & tali munere pollicitatione immortalis vitæ, vecordes aliquos ad ſui obſequium, & idololatriam pellicerent.* Sed quia hoc non indicatur in textu: ideo meritò habetur pro Pontificiorum commento. Inter alia & propterea: *quaſi DEus non per ſuum imperium & omnipotentiã Dæmones inde*

potue-

potuerit arcere: & quia putant; non aliter potuisse Dæmones in Paradysum venire, quasi per *modum ingressûs*. Sicut Menochius dicit: *Ne ingressi decerperent*. Quæ tamen non urgebimus.

X. *Johannes Calvinus, comment. in h. l.* rectè quoq; explicat de Angelis, dicens: *Per Cherubim non dubium est, quin Angelos Moses designet.* Idem sentit quoque *Mercerus*, dicens: *CHERUBIM sunt Angeli, sic dicti, quod volucres sint & alati, i. leves & agiles ac celeres ad DEI mandata exsequenda, unde & Spiritûs administratorii dicuntur.* Ac rectè putat, *hæc externè, ut narrentur, facta fuisse. ibi reverâ collocatos Cherubim extra Paradisum, quâ erat accessus ad illum cũ gladiis micantibus & versatilibus. Nec seorsim Cherubinos & seorsim laminam gladii versatilis fuisse: sed Angelos gladios tenuisse.* De *Angelis*, ut nostrates Doctores nunc audiamus, interpretatur itidem locum hunc B. noster *Lutherus*, pag. 53. in Genesin, dicens: *In eâ viâ igitur ab Oriente, quæ sola ad Paradisum ducebat, positi sunt Cherubim seu Angeli, qui custodirent viam istam, ne vel Adam, vel ulli ejus posteri ingredi in Paradisum possent.* Seu, ùt *Hieronymus* loquitur in *Qu. Ebraicis*: *Ad custodiendum Paradisi vestibulum, ne quis posset intrare.* Et pergit: *Humano more fecit hæc Dominus ad terrendum, ut scilicet extaret memoriale tàm insignis lapsûs. Flammeum gladium* verò, interpretatur de *flammâ* seu *fulgure*, habente *formam gladii*; non autem de *ferro*. Uti apud eum potest videri. Sic etiam *Rungius in h. l.* & *Gesnerus, quæst. 23. in cap. III.* per *Cherubim* Angelos intelligunt; & per *Gladios*, flammas ignis, aut fulguris. *Gerhardus* quoq; *comment. in h. l.* statuit: *Plures Angelos sive Cherubim ante Paradisum constitutos, & singulos gladiis flammantibus sive διςτόμοις instructos fuisse:* ita ut *singularis* vox, *Gladius*, ponatur pro *Plurali*, ùt etiam vult *Mercerus*. Ac probabile est, *Cherubim*; seu *Appellationem hanc Angelorum*, desumtam esse ab Arcâ fœderis, super quâ erant *Cherubim*, h. e. *imagines humanæ alatæ*, Exod. 25. v. 18. & Angelos hos in formâ humanâ visos fuisse? Sicut & *Num. 22. v. 35.* Angelus cum gladio obviavit Bileamo. Sicut etiam *Lutherus comment. in h. l. pag. 33.* scribit: *Videtur mihi Cherub. significare faciem illam floridam, quæ est in puellis & juvenibus in primâ ætate.* Et paullò post: *Nomen hoc ad apparentiam pertinet, quòd floridâ specie, & juvenili facie se offerunt hominibus.* Et *Petrus Martyr*, in Cap. III. *Cherubim sunt An-*

geli, quorum nomen à figurâ est derivatum. Ut ita censeamus: I. Custodes hos fuisse Angelos, & quidem plures uno, aut duobus. II. Singulos manibus suis tenuisse gladios flammantes, seu scintillantes & ancipites; ùt rectè quoque cit. l. Petrus Martyr scribit; sive ferrei fuerint gladii, sive quod probabilius, fueriut fulgurantes, & ignei. III. Appositos fuisse non propter Dæmones arcendos, sed propter Homines. IV. Finem hujus Ordinationis fuisse 1. Custodiam Paradisi & viæ ad arborem vitæ. 2. Ut esset perpetua concio Adamo & posteris de exsilio suo, deque irâ Dei ob peccatum 3. Ut excitaret cupiditatem redeundi ad pristinam felicitatem fide, per promissum semen. Videatur *l. cit. Rungius.* V. Durasse hanc custodiam, usque ad diluvium, in quo & Paradisus esse desierit, uti statuunt, *Lutherus, Rungius, Gerhardus, Cornelius à Lapide, & alii.*

XI. *QUÆRITUR* tandem VI. circa *EVENTUM; Quamdiu hæc ARBOR VITÆ duraverit?* Quoniam quidem ex Veteribus suspicati fuerunt: *Paradisum peculiari DEI providentiâ à diluvii aquis intactum fuisse servatum*: ideò *Bellarminus*, de gratiâ Primi Hominis *Cap. XII.* hanc opinionem Ecclesiæ, tanquam aliquem articulum fidei obtrudere allaborat. Sed alii Scriptores Pontificii, numero quamplurimi; inter cos citatus *Cornelius à Lapide in cap. 2. Genes.* & *Blasius Viegas, in Apocal. cap. 11 pag. 446.* nobiscum statuunt: *Paradisum tantùm usq; ad diluvium durâsse*; Siquidem aquæ per integrum annum terram occupantes, omnia perdiderint: nec usquam terrarum hodie vel minima vestigia ejusdem appareant aut monstrari possint. Ab aquis igitur diluvianis, euntibus & redeuntibus, amœnissima Paradisi facies, arenâ, limo & lapidibus fuit obruta; Arbores ejusdem prostratæ, solum eversum, munimenta concussa, & omnia miserè pessundata. Statuimus itaque juxta hanc sententiam: ARBOREM VITÆ durasse & in Paradiso stetisse, usque ad diluvium, in quo & IPSA unà cum Paradiso eruta fuerit & subversa. Vidè *B. Gerhardum*, sæpius citatà *Disputatione Isagog. 22 thes. 21.* Beatus *Augustinus* autem, uti *Thes. 29.* vidimus *Lib. I.* de Peccatorum meritis, *Tom VII. cap. 3.* aliter sentit. Discurrens enim de vitâ Enochi & Eliæ, quâ ratione vivant post translationem, dicit: *Sed ex quo translati sunt in vivunt, ut similem habeant satietatem illis quadraginta diebus, quibus*

Elias

Eliæ ex calice aquæ & ex collyride panis ſine cibo vixit: aut ſi & his ſuſtentaculis opus eſt, ita fortaſſe in Paradiſo paſcuntur, ſicut Adam, priusquam propter peccatum exinde exire meruiſſet. Habebat enim, quantum exiſtimo, & de lignorum fructibus refectionem, contra defectionem; & de ligno vitæ ſtabilitatem contra vetuſtatem. Ex quo patet, quòd ſtatuat; niſi vivant ùt Elias in illis quadraginta diebus ſine cibo & potu vixit: eosdem in Paradiſo adhuc exſiſtente vivere, & paſci ex arboribus, ac etiam *ligno vitæ* uti, ſicuti primi parentes iis uſi fuiſſent. Atque hinc ſine dubio eſt, quòd *Bonaventura*, Lib. 2. diſt. 19. art. 2. q 2. ſcribit: *Enoch & Elias, ſicut dicunt Gloſſa & auctoritates ſanctorum in Paradiſo conſervantur per eſum, ligno vitæ, uſque ad Antichriſti adventum.* Sicut etiam *Abulenſis, in Cap. 13. Geneſ. q. 90.* ſcribit: *Eliam & Enoch manere in Paradiſo, ac ali fructibus lignorum*, & principaliter *ligno vitæ*. Et *quæſt. 124.* dicit: *Elias & Henoch, qui in Paradiſo ſunt, ſumunt de* ligno iſto, *cùm non ſit eis vetitus cibus alicujus arboris.* Sed quid de hiſce ſtatuendum ſit, liquet partim ex dictis, partim alibi diſcutitur. Docemus enim, Enoch, Eliam, Moſen, & qui cum CHRISTO reſurrexerunt, non amplius habere corpora *animalia*, cibo & potu indigentia: Sed *ſpiritualia* & *glorificata*; ſicut Moſes & Elias apparuerunt ἐν δόξῃ, *in gloriâ*, *Luc. 9. v. 31.* nec in terreſtri, ſed cæleſti verſari Paradiſo. Atque reditum Enoch & Eliæ ad oppugnandum Antichriſtum eſſe commentitium.

XII. Addamus nunc etiam de ARBORE VITÆ, explicationem *myſticam*, ſive ALLEGORIAM. De quibus B. *Luther-us* dicit *cit. l. p. 53. Qui Allegoriis volunt uti, bi fundamentum earum ex ipsâ hiſtoriâ petent. Hiſtoria enim eſt quæ, ceu Dialectica, vera & indubitata docet. Contra Allegoria, quaſi Rhetorica, pingere hiſtoriam debet, ad probandum autem nihil valet.* Et rurſus: *Hoc monuiſſe ſit ſatis, ut qui Allegoriis uti volent, iis utantur, quas indicarunt Apoſtoli, & quæ habent fundamentum certum in ipsâ literâ ſeu Hiſtoriâ. Aliquiſiet, ut ædificemus ſuper fundamentum paleam & ſtipulas, non aurum. Ipſe* itaque dicit: *Arbor mortis eſt Lex. Arbor vitæ eſt Evangelium ſeu CHRISTUS. Ad has Arbores non poſſunt accedere, qui non credant in CHRISTUM. Prohibentur enim gladio Angeli, qui hypocriſin & venerandam juſtitiam non poteſt tolerare. Agnoſcenti autem peccatum, & credenti in CHRISTUM, huic Paradiſus apertus manet, offert*

enim non suam, sed CHRISTI justitiam, quam Evangelium ideò prædicat in omnes, ut omnes eâ nitamur & salvemur. Hæc *Lutherus*. Sic etiam Interpretes quamplurimi ARBOREM VITÆ, dicunt allegoricè esse CHRISTUM. *Lignum vitæ DEUS est, nemo accedit: Lignum vitæ CHRISTUS est, ne quidem vocantem audimus: Lignum vitæ Sacramenta sunt, etiam liberalissimè oblata fastidimus*, Scribit in h.l. *Marius*. Paradisus est Ecclesia, & in eâ Arbor vitæ CHRISTUS: Qui edit ex eo, non moritur. Videatur *August. Lib. 13. de Civit. DEI, cap. 21. Vox autem Evangelii sola monstrat iter certum ac tutum ad Arborem vitæ, CHRISTUM, ex quo succum & immortalitatem percipiunt omnes, qui credunt in nomen ejus.* Ut piè scripsit ad finem Capitis III. Beatus *Rungius*. Sic etiam *Cyrillus Alexandrinus, Lib. XXI. in Leviticum* Allegoricè scripsit: *Habemus intra nos metipsos & ligna camporum, quæ fructum suum producunt. Non est ficus, nec malus, nec vitis: sed una arbor Justitia appellatur, alia prudentia, alia fortitudo, alia temperantia nominatur. Et si vis, majorum adhuc arborum multitudinem disce, quibus fortassè digniùs putabitur confitus etiam Paradisus DEI. Est enim ibi Arbor Pietatis, est & alia Arbor sapientiæ, est & alia disciplinæ, est & alia scientiæ boni & malis: super omnia verò est ARBOR VITÆ.* Et iterum: *Sic ergò dicit Salvator: Non potest Arbor mala fructus bonos facere, neque Arbor bona fructus malos. Hoc est, quod docet: Arbor pudicitiæ bona est, non potest afferre fructus impudicitiæ. Arbor justitiæ bona est, & afferre fructus Injustitiæ non potest. Sic & è contrario, si habeas malæ arboris radicem in tua mente, plantatam, bonos reddere non potest fructus. Si enim sit in te radix malitiæ, fructus non dabit bonos. Si sit intra cortuum stultitia plantata, nunquam proferet sapientiæ florem: si injustitiæ, si iniquitatis, Arbor sit, nunquam hujusmodi ligna gaudere de bonis fructibus possunt.* Et quæ *Allegorica* alia afferre possemus.

XIII. Concludamus salutari *ARBORIS VITÆ* USU: Qui vel *Theoreticus* est: vel *Practicus. Theoreticus* est 1. διδασκαλικὸς. Testatur hæc *ARBOR* de mirâ & ineffabili DEI bonitate, dum medicinam tàm salutarem paraverat Protoplastis in statu innocentiæ. Quid dabit in Patriâ: si tantum dedit in viâ. Testatur de DEI sapientiâ & omnipotentiâ, quæ ex eadem elucet. Docet quoque summam fuisse felicitatem Hominũ in statu innocentiæ. II. ἐλεγκτικὸς. Deus non est auctor mortis, sed vitæ. Per invidiam igitur Dia-

Diaboli, per abusum liberi arbitrii, per peccatum mors intravit in mundum. Nec Deus mortem voluit; aut, ut intraret, unquam decrevit. Quomodo enim voluisset, cum ne intraret, severo mãdato circa *Arborem mortis*, sive *scientiæ boni & mali*; & salutari remedio in *Arbore vitæ* contra mortem instituto mortem penitus excluserit. *Practicus*: Est 1. ἐπανορθωτικὸς. Caveamus peccata, quæ Protoplastos ex Paradiso ejecerunt, & tàm insigne donum tantumque vitæ thesaurum, ARBOREM VITÆ, iisdem eripuerunt. Meminerimus, quid amiserimus; suspiremus & tendamus ad cœlestem paradisum. Nam, ut pulchrè *Basilius Magnus in Psalm. I.* edit. Basil. p. 251. *Via vita dicitur, per quam quilibet natus properat in finem. Quemadmodum, qui in navigiis dormiunt, spontè à vento in portum deducuntur, ex quo non scientes impulsæ navis cursu itineris finem contingunt: Sic & nos vitæ nostræ tempore prætereunte, veluti quodam motu continuo, & irrequieto, ad proprium quilibet terminum, occultæ vitæ nostræ cursu properamus: Verbi gratiâ: dormis, & tempus evolat: vigilas, & mente aliquid agis: vita tamen, etiãsi non sentiamus absumitur. Omnes enim unũ currimus curriculum, ad propriam quisque metam tendentes. Quamobrẽ omnes in via sumus: atq; in hunc modum, si de vitâ hac senseris, viator eris in hac vitâ, transibunt omnia post tergum, relinquentur omnia. Si videris in itinere hoc plantas, herbas, aquas, animalia & quæcunq; spectatione digna, brevi tempore oblectatus relinques. Rursus, si in loca saxosa, crepidines, valles, scopulos, quandoq; in feras, serpentes ac spinas, & alia duriora & aspera incideris, parũper affectu turbatus paullo post deseres. Talis est vita humana, quæ nec delectabilia, nec rursus acerba & tristia diu retinet. Sed nec via hæc tua est, neq; præsentia tua sunt. In viatoribus primus vestigiũ movit, & post eũ alius, item alius insequitur. Considera parũper res humanas, an non sint similes. Hodie terrã coluisti, & cras alius colet, & post eum alius. Vides agros & Domos sumtuosas, quot nomina brevi tempore mutaverunt? Dicebantur alicujus esse, & postea in alterius denominationem transierunt, & post illum rursũ ad alium, nunc quoq; alterius esse dicuntur. Cur vita nostra non dicetur via: qua modo hunc, modo aliũ sortitur continuò statum. Beatus ergò qui in viâ peccatorum non stetit.* Hæc *Basilius*. Et in *Hexaëmero Homil. XI.* inquit: *Quæ te ad fingendum sumsit; manus est Dei. Quod à DEO formatum est, per malitiã ne polluas, per peccatũ ne immutes, ne excidas è manu DEI.* Itaque ut

Ser-

Sermone de *Paradiſo. Tom. II. p. 140.* loquitur: *Quonam pacto patriam noſtram conſpectui tuo conſpicuè proponere potero, ut te hinc exiſto revocet exilio?* Lingua loquatur gaudia cœleſtis Paradiſi: linquantur mundanæ voluptates & fallacia iniquitatum blandimenta; mẽs attenta ſit ad veram *ARBOREM VITÆ CHRISTUM*, amplectendum fide, imitandum vitâ. Moriatur, qui Arborem hanc repudiaverit, in quâ ſolâ *VITA* nobis repoſita eſt & *SALUS.* 2. Ξύλον ζωῆς. In cœleſti Paradiſo habebimus Lignum vitæ, Apoc. 22. 2. & nunquam finiendam vitam & beatitudinem. Hinc eò dictum accipimus, quod teſte *Rivetо Exerc. in cap. III. Gen. 40.* apud *Eugubinum*, *Severianus* dixit: δέδωκε τὸ ξύλον χαρακτῆρα τῆς βασιλείας; *Dedit Arborem, quæ regni ſignum foret:* An autem Poëtæ & Philoſophi Ethnici etiam hinc ſuum *Nectar*, *Ambroſiam*, & *Nepenthe* deſumſerint, & in ſuum cœlum transtulerint? de eo *Idem Rivetus* diſſerens, *ibidem* videri poteſt. Sicut ergò *Auguſtinus* dicit *Lib. 8. de Geneſi ad literam, cap. 5. CHRISTUS lignum vitæ eſt, in Paradiſo Spirituali, quò miſit de cruce latronem.* Ita lætemur de hac *Arbore vitæ* in regno *Gratiæ*, donec mittamur à Salvatore in pace in cœleſtem Paradiſum, ac intremus in regnum Gloriæ. *Ubi Domine Deus unus*, *Deus TRINITAS*, ùt *Auguſtinus* Libros de TRINITATE concludit, *Tom. II. p. 188. ſine fine dicemus unum, laudantes Te in unum*, & in *Te facti etiam nos unum.* Addimus verò & verba Gregorii *Nyſſeni*, quibus *Hexaëmeron* ſuum concluſit, *Quod ſi iis, quæ dicta ſunt, aliquid deeſt, per me licebit, vel à te, vel à quovis Lectore ſuppleri, quæ deſunt, neq; enim oboli illi duo, qui à viduâ illâ adjiciebantur, divitum munera prohibebant: neque qui pelles & ligna, & pilos Moyſi ad tabernaculi confectionem conferebant, impedimento fuerunt iis, qui & aurum, & argentum, & precioſos lapides huic ſacro operi dicabant. Ergo nos quoq; contenti erimus, ſi loco pilorum noſtra ſcripta admittantur & approbentur, dummodo contingat, ut per veſtram purpuram, quæ auro applicetur, tunica ſermoni addatur: cui nomen eſt, & rationale, & doctrina, & veritas quemadmodum inquit etiam Moyſes, qui ejuſmodi Sacrrdoti conficiebat indumenta juxta præſcriptum DEI: quem decet gloria & imperium, cum unigenito Filio & Spiritu Sancto, in ſecula!* Et hæc nunc etiam de ARBORE VITÆ.

FINIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-367626-p0071-6

Geschenk
Bibliothek
Kloster Unser Lieben Frauen
Magdeburg

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-367626-p0072-2

64199.

AB 64199

ULB Halle 3
001 970 631

TH → 2c

VD 17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-367626-p0074-3

SANCTÆ TRINITATIS.

DRIGA

NUM THEO-

CARUM

&

ORE

TÆ,

ica luci

lata

à

OCHEMNITIO

. Eccleſiæ Jenenſis ac

Paſtore & Superint.

TERTIA.

NÆ.

ANNIS NISII,

DC. LXVI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-367626-p0075-8